

Exeg.
B.

703

Interpret:
B. In Vet. Testam: 855. 1/2

VINDICIAE
VATICINII JESAIÆ
PROPHETÆ

CAPITE VII, COMMATE XIV & XV,

DE IMMANVELE VIR-
GINIS FILIO

JESV CHRISTO

SALVATORE NOSTRO,

VNICE ATQVE EX INSITVTO AGENTIS
ET INTERPRETANDI,

CONSIGNATAE STUDIO

FRIDEMANNI ANDREÆ ZVLICH,
SS. THEOL. LICENTIATI.



JENAE,
LITTERIS BVCHIANIS, MDCCXLII.

UNIVERSITÄT
VON
DRESDEN
BIBLIOTHEK
VERMÄCHNIS
VON
HERRN
DR. THEODOR
SCHNEIDER
1871

**CONSIDERATIO
DISTINCTA VERBORVM
SINGVLORVM**

VATICINII JESAIAE VII, v. 14. 15.

**DE PARTV VIRGINIS
IMMANVELE,**

ET

**DEMONSTRATIO VA-
NITATIS AFFICTARVM
ALLEGATIONI & IN-
TERPRETATIONI**

**HVJVS VATICINII
A MATTHAEO EVANGELISTA FACTAE,
DIFFICVLTATVM,**

DOCTORVM EXAMINI EXHIBITA

SCRIPTORE

**FRIDEMANN ANDREA ZVLICH,
SS. THEOL. LICENTIATO**

**JENAE,
LITTERIS BVCHIANIS, MDCCXLII.**

CONSIDERATIO

DEI IN REBUS

PHYSICIS

ET METEORICIS

AB ALEXANDRO

PHILIPPO

LEMOINE

PARISIENSIS

ALLEGATIONE

IN

REBUS

PHYSICIS

ET METEORICIS

AB ALEXANDRO

PHILIPPO

LEMOINE

PARISIENSIS

LITTERIS

V I R O
SVMME VENERABILI, ILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O
ERN. SALOMONI
CYPRIANO,

THEOLOGO DE VNIVERSA CHRISTI
ECCLESIA EGREGIE MERITISSIMO, SS.
THEOLOGIAE DOCTORI LONGE CELEBERRIMO,

SERENISSIMO DVCI SAXO-
GOTHANO A CONSILIIS SANCTIO-
RIBVS ECCLESIASTICIS,

ET PROTOSYNEDRI SACRI VICE - PRAESIDI

GRAVISSIMO ATQVE PRVDENTISSIMO,

*DOMINO, ET IN CHRISTO PATRI,
PATRONO AC EVERGETAE SVQ OMNI OBSERVANTIA
AETATEM SVMMOPERE VENERANDO,
TENVEM HVNC LIBELLVM*

IN PERPETVAM INNVMERORVM AB IPSO
ACCEPTORVM BENEFICIORVM MEMORIAM
HVMILLIMA CVM REVERENTIA

OFFERT, DICAT, ET CONSECRAT

FRIDEMANN ANDREAS ZVLICH,
JENENSIS. SS. THEOL. LICENTIATVS.

VIR

*SVMMME VENERABILIS, ILLVSTRIS,
ATQVE EXCELLENTISSIME,*

DOMINE, ET IN CHRISTO PATER, PATRONE
ATQVE EVERGETA SVMMOPERE VENERANDE
ATQVE SVSPICIENDE,




Anta cum sint Tua, *Pater in CHRISTO Summe Ve-*
nerabilis, in omnem rem literariam, quam maxime
autem in veram CHRISTI Salvatoris nostri
Ecclesiam, & in coelestem purioris doctrinae evan-
gelicae veritatem, merita, quae dudum universus lite-
ratus orbis celebravit, & pii omnes suspiciunt: ea certe inde a pri-
mis juventutis meae annis singulari veneratione nunquam non fui
profecutus. Licet vero mea me indignitas nunquam forte per-
misisset accessum ad propiorem Tuam notitiam, nedum ad pa-
trocinium Tuum ambiendum, quaerere: postquam tamen Praecepto-
ris mei, etiam post fata ejus summe venerandi, Theologi Rostochi-
ensis de universa etiam ecclesia immortaliter meriti, beati D. JO-
ANNIS FECHTII, commendatio aditum ad Te mihi paravit:
tot tantaque Tua extiterunt ab illo tempore in me beneficia, tanta in
me non meritum & tam honorifica propensio, tanta pro rebus meis
solicitude, & plusquam paternus in me affectus, ut iis praedicandis
mea neutiquam sufficiat infantia, tantum abest, ut eis unquam paria
valeam rependere. In id saltem omni studio sum annisus, ut ne in-
gratum me exhiberem, imo &, ut saltem publice profiteri possem,
quantum Tibi, *Petrone Excellentissime*, obligatum me sentiam.
Sed paupercula meorum laborum supellex, & pauperis ingenii penu-
ria nihil sufficere mihi potuit, quod Tuo nomine Tuisque in me me-
ritis dignum proferrem. Cum vero juvenis alicujus studiosissimi, &
mihi cupidissimi, Antonii Tanck, Lubecensis, mei in variis Theolo-
gi-

gicis acroasibus auditoris perquam industrii, me adigeret fedulitas, ut ipso Respondentis munus captante, ante biennium e cathedra Theologica, benevolentissime consentiente Summe Reverenda Theologica Facultate, in alma hac patria Academia, partem opusculi; jamdum ante plures annos conscripti, allegationem vaticinii Jesaiæ de Immanuele Virginis Filio, a Matthæo Evangelista factam vindicantis, proponerem: prætermittere nolui hanc occasionem testandi publice, facta opusculi hujus illustri Tuo nomini inscriptione, quantum cuperem gratum Tibi significare animum. Delituit autem ab illo tempore in typographia imperfectus libellus, protracta huc usque, nescio quo pacto, ejusdem per typos exscriptione. Licet vero ferius, quam decebat, is jam demum ad Te veniat, licet id etiam exile nimis scriptum sit, quam quod Tuo Nomini celebratissimo inscribi debuisset: differre tamen nolui, quin, antequam moriar, qualecunque facerem extare monumentum Tuorum in me collatorum beneficiorum, saltem ne tanquam in ingratum collata evanuisse putarentur, & oblivioni data disparerent. Enixe autem, humillima cum reverentia, peto, ut ea, qua in me semper uteris, benevolentissima propensione, etiam leve hoc *ἑκμήριον* egenæ voluntatis meæ, & memoris saltem animi, suscipias; Tuoque patrocinio me per parvum, quod mihi restat, vitæ tempus commendatum servare ne dedigneris, DEVM O. M. autem sinceris assiduisque precibus veneror, ut Te, Theologe Eminentissime, quam diutissime adhuc ad seram usque senectutem servet, vires animi corporisque inconcussas sufficiat, senii incommoda levet, negotiis Tuis consiliisque sanctis & gravissimis uberrima gratia sua porro adspiret, & ea prosperrimis secundet successibus, in harum terrarum, Serenissimi Tui atque Sapientissimi Principis, meæ item patriæ, totius ecclesiæ, imo universi literati orbis, amplissima commoda, incrementa, & emolumenta! Dabam Jenæ, IV. Nonas Maji, A. D. H. M D CC XLII.

ILLVSTRIS ATQVE SUMME VENERABILIS
TVI NOMINIS

Cultor atque cliens devotissimus ac
observantissimus

FRIDEMANN ANDREAS ZVLICH.



CONSPECTVS TOTIVS OPVSCVLI.

Prooemium

Instituti gravitatem & necessitatem indicat ac methodum.

- §. 1. Salvator mundi noluit homo nasci, nisi diu ante multis vaticiniis prædictus & clare descriptus: ut in postremis seculis, certa fide nosci posset.
- §. 2. Familiam inprimis suam, ex qua nasci voluit, per vaticinia semper strictius determinavit.
- §. 3. In his Jesaiaë disertum inprimis de matre Mesiaë, virgine, vaticinium a multis male distortum.
- §. 4. Vindiciaë illius vaticinii quo ordine nobis institutaë sint.

CAPVT. I.

Analysin totius Orationis Jesaiaë ad Achasum habitæ a Cap. VII. ad XII. exhibet. Vbi

- §. 1. Scopus totius orationis Jesaiaë.
- §. 2. Occasio eam habendi quæ Jesaiaë data, ex Cap. VII, v. 1. 2.
- §. 3. Causa ejus habitæ proxima, Divinum mandatum. ex v. 3.
- §. 4. EXORDIVM Orationis, v. 4. 5. 6. ad tranquillitatem animos perturbatos componens.
- §. 5. PROPOSITIO Orationis ex v. 7. non metuendas esse hostium minas.
- §. 6. TRACTATIO Parte prima exhibens propositionis fundamenta. Ubi 1.) fundamentum propositionis primarium, *Messiam nempe promissum*, tectius insinuat, ex v. 8 & 9.
- §. 7. Ob auditorum incogitantiam orator ad tanti momenti fundamentum clarius memoriæ refricandum accedit, v. 10. 11. fidem adstantium explorans de Messia expectando,
- §. 8. & prodita v. 12. auditorum in fide illa stupiditate,

CONSPECTVS TOTIVS OPVSCVLI.

- §. 9. eandem v. 13. severe increpans,
- §. 10. Ipsum illud fundamentum, tanquam signum fidem propositionis irrefragabiliter fundans v. 14. clare indicat: addito v. 15. signi hujus adversus hostiles illiusmodi minas ad sera tempora usu.
- §. 11. Fundamento illi primario 2) adjicit, *novam promissionem* instantis opitulationis Divinæ, v. 16. inculcans præsentis hostes cito delendos esse,
- §. 12. Licet juxta v. 17. posthæc domus Davidis, & populus, & terra Judaica ante Messiaë adventum graviter sit affligenda.
- §. 13. Idque ab ipsis, a quibus nunc auxilia petere velint, Assyriis juxta v. 18. 19. 20.
- §. 14. Ut tamen terra ab ipsis adhuc habitanda posteris eorum lacte & melle abundatura sit in mediis calamitatibus, v. 21. - 25. nempe *usque ad tempora judicii Messiaë.*
- §. 15. Subjicit 3.) fundamentum propositionis aliud *vaticinium jam antehac editum*, Cap. VIII, 1. - 4. tempus instantis proxime interitus duorum hostium præsentium quod clare determinaverit.
- §. 16. Quod ipsum vaticinium Jesaias illustrat, v. 5. 6. 7. explicando vastationis regni Ephraim causus & modum.
- §. 17. Indicando v. 8. quid periculi in terram Judaicam sit transiturum.
- §. 18. Quod tamen tuto contemnendum docet v. 9. 10.
- §. 19. *Parte tractationis secunda* exhibet dehortationem ab ineundis foederibus extraneis, (1) referendo orationem ipsius Messiaë ideo ad Jesaiam habitam, quam v. 11. insinuat.
- §. 20. Illius orationis v. 13. 14. propositio refertur, ejusque tria argumenta priora.
- §. 21. Refertur argumentum quartum, quia tali diffidentia adversus se concitaturi sint judicium Messiaë, ideo ipsos rejecturi. quod judicium v. 14. 15. indicatur.
- §. 22. Idem plenius explicatur, quod eo α) tolletur ab iis donum propheticum. v. 16.
- §. 23. Idque ad stabiliendam certitudinem fidei suorum eligendorum v. 17. 18.
- §. 24. Stabiliendam nempe adversus argutationes malorum rejiciendorum v. 19. 20.
- §. 25. Explicatur porro judicium Messiaë adversus rejiciendos, quod

CONSPECTVS TOTIVS OPVSCVLLI.

- quod β) eo iisdem inferetur fames furibunda. v. 21.
- §. 26. it. γ) pertinax eorundem excoecatio, sive tenebrae extremæ. v. 22.
- §. 27. Unde sic rejicientur mali, & deligentur boni. Cap. IX, 1. 2.
- §. 28. Quomodo illa Messiae Oratio fuerit a se excepta, Jesaias addit, nempe expetendo suae genti gaudium in luce Messiae, idque α) quia id congruum praesentiae Immanuelis. v. 3.
- §. 29. item β) quia is ablaturus sit jugum legis Mosaicae. v. 4. & γ) quia dissidium populorum in amoris incendium sit mutandum. v. 5.
- §. 30. Denique δ) quia huic in primis populo sit datus Immanuel. v. 6. 7.
- §. 31. Ab ineundis foederibus extraneis dehortatur (2) ex validitate divini verbi adversus regnum Ephraim, quod talia foedera semper ambierat. v. 8. adjectis causis exitii Ephraimitarum, & quidam *prima*, eorum fastu. v. 9. 10. 11. 12.
- §. 32. *Secunda* causa, illorum impoenitentia. 13 - 17.
- §. 33. *Tertia*, nempe, protervia injuriandi. v. 18 - 21.
- §. 34. *Quarta*, corruptela doctrinae coelestis. Cap. X, 1. - 4.
- §. 35. Unde plenum exitium regno Ephraim sit subeundum, v. 5. 6. (non obstantibus ejus foederibus)
- §. 36. Dehortatur ab ineundis foederibus extraneis (3) praedictione cladis Judaico regno inferendae ab ipso illo, cujus jam foedus ambient, Assyrio. cujus describitur arrogantissimus fastus, v. 7-11. quo se adversus Judaeos pariter ac alias gentes sit elaturus.
- §. 37. Qui fastus a solo DEO sit suo tempore refranandus, v. 12-19.
- §. 38. Nec per Assyrium. sed per Deum servandos esse Judaeos, quicumque servabuntur. v. 20. - 23.
- §. 39. Afflictio Judaeae ab Assyriis certo imminens, sed refrananda, asseveratur. v. 24. - 27.
- §. 40. Domus Davidicae extrema humiliatio per Assyrios, ab ipso tamen DEO, futura. v. 28. - 34.
- §. 41. *Parte tertia* suae orationis adventum certum Immanuelis clarius jam determinat, tum quando futurus, tum qualis rex, & quale ejus regnum sit futurum. toto Capite XI.
- §. 42. Addit effectum praesentiae Messiae apud servatas reliquias Judaeorum Cap. XII, 1. 2.
- §. 43. CONCLUSIO orationis totius, hortans adstantes ad confidentiam in promisso Immanuele. v. 3. 4. 5.
- §. 44. Epiphonema ad fideles Immanuelis cultores propheticum. v. 6.
- §. 45. Clausula capitis primi.

CAP.

CONSPECTVS TOTIVS OPVSCVLI.

CAP. II.

*Consideratio Distincta Verborum vaticinii Jesaia Cap. VII, 14. 15.
de Partu virginis Immanuele.*

- §. 1. Scopus tractandorum hoc capite.
- §. 2. Signorum varia genera annotantur.
- §. 3. Signi nostri finis, fidem facere promissionis divinæ, licet id non præsens sed futurum.
- §. 4. Quomodo res futura signum sit certitudinis eventus prope instantis.
- §. 5. Ex verbis singulis vaticinii consideratur particula *Ecce*.
- §. 6. Significatus vocabuli עלמה.
- §. 7. Quænam sit virginis illius persona.
- §. 8 - 11. Reliqua versiculi decimi quarti verba expenduntur.
- §. 12. Signum a DEO datum plenissime versu decimo quarto indicatum est.
- §. 13 - 16. Verba versiculi decimi quinti singula considerantur.
- §. 17. Scopus verus Verborum totius versiculi decimi quinti.

CAPVT. III.

*Demonstratio Vanitatis afflictarum allegationi & interpretationi vaticinii
hujus, a Matthæo factæ, difficultatum.*

- §. 1. Scopus dicendorum hoc capite.
- §. 2. Dantur vaticinia veteris testamenti de Jesu Christo directe agentia, absque allegoria.
- §. 3. Matthæus Jesaia vaticinium allegavit absque allegoria.
- §. 4. Vaticinium hoc de Christo acceptum servit solatio Achaso.
- §. 5. Jesaias ad Achasum missus non fuit, ut signum vel miraculum ederet.
- §. 6. Messias post plura demum secula nascendus signum est in diebus Achasi validum.
- §. 7. Male confunditur signum Immanuelis cum filio prophetissæ.
- §. 8. Jesaias non se suosque filios dicit in signa & miracula datos Israeli.
- §. 9. Nihil absurdi infert Messiam sero nascendum signum dari Achaso.
- §. 10. Jesaias negando Messiam signum esse instantis proxime interitus regum adversariorum, non negat eum signum esse vanarum minarum eorundem.
- §. 11. Signum, quod Collinus fingit, non est signum a Jesaia nunciatum.
- §. 12. Vaticiniorum divinorum nulla est in ipsismet obscuritas, nedum necessaria.
- §. 13. Butyri & mellis memorata comestio non obstat, quin Immanuel sit Messias.
- §. 14. Non de puero Immanuele dicta est butyri & mellis comestio.
- §. 15. Præsentibus Jesaia auditoribus incredulis signum verum est Messias.



VINDICIAE VATICINII IESAIANI
DE
PARTV VIRGINIS

PROOEMIUM.



Enigmiffimus Salvator noster IESVS
CHRISTVS noluit in terris comparere
ad fufcipiendum abftrufiffimum redem-
tionis humani generis negotium, nifi
multo ante ita fe per viros fuo fpiritu
latos defcripiffet & quali depinxiffet,
vt quilibet poffet immota fide perfpice-
re ipfum huncce nunc in terris ver-
fantem effe aeternum illud Verbum,
aeternum illum Dei filium, aeternam
Dei veritatem ac fapientiam, aeternum noftrum sacer-
dotem & humani generis redemptorem certiffimum. Ita
enim tunc demum humani ingenii, per lapfum deprava-
tiffimi, quantumuis diuina virtute atque gratia iterum
colluftrati, tarditas & hebetudo certa fieri poterat de

A

veri-

veritate sui redemptoris, quando conspiceret in eo omnia illa comparere, quae tam longo ante tempore praedicta fuerant. Sicut enim non alius nisi Deus tamdiu ante praenunciare poterat sero futura, ita & non alius existere poterat, in quem illa omnia possent conuenire, nisi ille ipse, quem diuina infallibilis praescientia ita praenunciaverat & praedeterminauerat, imo ipse qui se talem compariturum tam diu ante indicauerat. Ita ipse apud Hoseam C. XII. v. 11. ait: *Ego sum qui visionem multiplicauit & per manum prophetarum me effigio.* Vnde Salvator noster in carne praesens ad Scripturas ablegabat Ioh. V. v. 39. *Scrutamini scripturas, quia ipsae sunt quae de me testantur.* Ita quaerentibus Iudaeis: *tu quis es?* respondebat Ioh. VIII. 25. *ab initio τὴν ἀρχὴν id sum quod & loquor vobis;* verba sua quasi repetens olim iam dicta Ef. XLVIII. 16: *accedite ad me, audite hoc, non inde ab initio וְנִרְאָה τὴν ἀρχὴν in abscondito locutus sum.* & C. LII. 6: *idcirca agnoscat populus meus nomen meum, imo idcirca in die illo, quod ego ille sum qui loquitur, ecce ego.* Nimirum ait: quod olim promisi me futurum nunc sum ipse. Videlicet vt Apostolus Ebr. XIII. 8. dicit, *Iesus Christus heri & hodie idem est & in secula.* Inde quo diutius aduentum suum differre videbatur, tanto illustrius semper se praefigurabat, quis qualisque tum qua personam suam, tum qua officium obeundum, tum qua statum extiturus esset. Quamobrem etiam Apostolos atque Euangelistas nostri Saluatoris inuenimus id quam maxime egisse in suis scriptis & concionibus, vt ex antiquis vaticiniis demonstrarent Iesum illum Nazarenum esse promissum ipsum, ab initio locutum, sermonem Dei, Messiam, filium Dei, & mundi redemptorem.

§. II.

Si omnia de Salvatore nostro ab initio prodita vaticinia vellemus huc digerere, maxima pars sacri codicis transcribenda esset. Adhuc in paradiso existentibus primis nostris

nostris parentibus, nuper à Deo tristi lapsu auersis, ranciabatur tanquam semen mulieris, contritum caput serpentis & in suo calcaneo vulnerandum; adeoque tanquam partus quidem humanus, sed ex mulieris tantum femine gignendus. Multiplicato dein genere humano ad Noachi familiam, inde ad Semi, postea ad Abrahami, dein ad Isaaci, porro ad Iacobi familiam promissio expectandi illius seminis restringebatur. Iacob ex duodecim suis filiis Iudam determinabat, ex cuius tribu Schilo fit proditurus. Tandem Daudis familia indigitabatur, ex qua prodire deberet Rex veri Israëlis & Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, eaque in regiam euehebatur dignitatem, ut tanto illustrior euaderet profapia redemptoris mundi, & magis omnibus gentibus increbesceret eius expectatio: cui etiam iterata promissio fuerat facta ipsam non abolendam esse, nec cum reliquis familiis confundendam, nec interituram, donec Messias ille venisset. Interea non tantum lex, suis typis variisque figuris atque ceremoniis eum ut adumbraret, constituta fuerat, sed & innumeri prophetae, omni tempore in omnium mentibus eius resuscitare debebant expectationem.

§. III.

In his disertissime cum primis Iesaias atque frequentissima de isto mundi Salvatore edidit vaticinia, nusquam non id agens, ut ad eius expectationem omnes omnino reuocet, & integris eum prolixè depingens sermonibus, imo potius ipsius ad se factas orationes exhibens. Vnde etiam huius Prophetæ frequentissima existit in libris N. Testamenti allegatio. Inter primas autem eius prophetias comparet ista, quam nunc diuinæ cum gratiæ inuocatione considerandam suscepimus, de Messia partu virginis extituro. Quo autem illustrior est hæc ipsa prædictio, eo plures hostis diuinæ veritatis & humani generis excitavit, qui illam variis *παρεστηνειαῖς* obnubilare, & insuperabili-

bus quasi difficultatibus inuoluere ac distorquere laborarent, vt plane de Messia non agere existimaretur. Atque si Iudaei tantum in eo turpiter se dedissent, minus illud mirum nobis esset, ob induratum gentis malignitatem, & nunquam non coecutientem pertinaciam aduersus diuinum verbi lumen, ac perduelle contra Iesum nostrum Nazarenum odium. Longe autem tristius est illud, quod inter illos etiam, qui inter Christianos nati sunt & educati, seque Christianos etiam haberi volunt, extiterint, qui Iudaicis se erroribus inquinari fuerint passi. Imo, accesserunt empacetae ac omnis religionis derisores, qui ex huius ipsius vaticinii, quam temere confingunt, impertinentia, & incongrua ad Christum siue Messiam applicatione, erroris ac fallaciae sacrum codicem postulare non sunt veriti. Non autem defuerunt omni tempore, qui omnis generis aduersariis mascule se opposuerunt, viri docti, pii, & cordati, & qui oraculi huius de Messia certitudinem, veritatem, & diuinam explicationem vindicarunt. Eorum nunc instituere recensitionem, prolixum nimis esset, & ab instituto nostro alienum: qui id saltem, cum diuinae gratiae auxilio, operam dabimus, vt rem ipsam sollicitè expendamus, & numquam tanta adsit huic vaticinio difficultas, quae istud de alio quam de Messia, atque de alia eiusdem, quam ex intemerata virgine, natiuitate explicare vrgeat, aut saltem dubios nos & incertos reddere apta sit.

§. IV.

Atque Christianis quidem sufficere debuerat, quod ipse Spiritus Sanctus Matth. I. 23 oraculum illud Iesaiarum de Messia ex virgine intemerata humanam assumpturo naturam explicauerit. Vtpote qui idem in scriptoribus veteris ac noui Testamenti librorum existens, certissimus omnino suorum verborum ac infallibilis interpretes existat. Vnde id saltem nostri esset officii dispicere, quod in Prophetarum verbis nihil existat, quod diuinae isti interpretationi aduersetur, quin potius, quod omnia eidem concordent in toto vaticinii contextu concinnissime.

Atque

Atque istud certe ut & nos nunc euoluamus, & quantum diuina nobis gratia concesserit, luculentissime demonstremus, potissima erit nostra cura. Quum tamen nexae atque fictae à veritatis aduersariis difficultates nos adigant, ut offendiculum, quod sensus in hisce minus exercitatos habentes ab illis possent in animae suae detrimentum capere, tollamus: etiam illarum discutiendarum nonnullam habere curam, nostrum nunc erit. Vnde tractandorum haec nobis erunt ante oculos capita, ut 1) totum huius vaticinii contextum sex capitibus, nempe à septimo ad duodecesimum (*) contentum, quantum fieri potest breuissimis dilucide sistamus euolutum. 2) Ipsa vaticinii verba sigillatim, sed paucis itidem, consideremus. 3) Fictarum difficultatum vanitatem et deliria monstremus apertissime. Adsit nobis in isthoc negotio gratia sanctissimi Spiritus, per meritum incarnati ex virgine nostri Saluatoris! Amen.

(*) Plures quidem orationes propheticas nonnulli in his capitibus constituunt. Congrua autem magis visa est illorum sententia, qui non nisi vnicam et continuam, eodem tempore habitam, orationem hisce capitibus exhiberi statuunt. Videtur idem etiam sensisse Raymundus Martini in Pugione fidei P. III. distinctione I. Cap. IX. § VII. p. m. 532. scribens: *haec propheta, scilicet infans natus est nobis (Es. IX. 6 7.) egressa est ex ore Esaiæ eodem vtiq; tempore, quo ill., ecce haalma i. e. virgo concipiet. Satis quippe sunt ambae in vno eodemque textu, et vtraque vnum & idem quasi de Christo loquitur.*

CAPVT I.

Euolutio contextus vaticinii Iesaiæ, sex capitibus, nempe VII. VIII. IX. X. XI. & XII. contenti.

§. I.

Scopus huius vaticinii ex parte omnibus fere est in confesso, ex parte autem disputatur. Quod Propheta id

*Scopus
Oratio-
nis pro-
pheticae,*

A. 3

agat,

agat, vt Regem Iudae Achas, totumque eius populum, imprimis domum Dauidis, auertat à timore & tremore iis incusso ex arctiori foedere inter regem Syriae Rezinem & regem Israelis Pekachum inito, in confesso est tantum non omnibus, etiam Iudaicis interpretibus. Adde etiam illud, quod vna Deus auertere satagat Achasum à foedere, quod cum rege Assyriae contra Syros & Israelitas pangere animo susceperat. Quibus autem argumentis Deus per Iesaiam id agat, de eo grauis est dissensio, non tantum Iudaeorum, & quorundam cum iis facientium Socinianorum, Arianorumque, sed & nonnullorum, qui sanam de Christo doctrinam profitentur. Philologus inter multos alios haud parum excellens, Samuel Bohlius, quatuordecim argumenta enumerauit, quibus propheta illum Iudaeorum timorem debellet. Prolixum esset sententias omnium seorsim ad examen vocare. Verbo igitur dicamus, quod nobis videatur. Nimirum vnico vti Iesaiam ex diuino iussu argumento, quod in hisce capitibus inculcat, illo videlicet quod domus Dauidis & politia Iudaica non possit supprimi neque penitus euerti ante Messiae aduentum: (*) adeoque confirmatum quasi ire vaticinium Iacobi Gen. XLIX. 10: *non recedet virga de Iuda neque legislator de medio pedum eius, donec venerit Sibilus*. Vnde vanum omnino timorem esse infert quem conceperint. Sub hoc argumento primario deprehendes reliqua argumenta omnia, tanquam agmine bene ordinato disposita contra tremores domus Dauidicae militare.

(*) Consentientem hic saltem de argumenti illius tenore vel summa allegare iuuabit reuerendissimum quondam Scaniae episcopum *Petrum WINSTRUPIVM* in Pandectis siue commentario in Matthaeum T. I. p. 75., vbi ita scribit: „ Quum rex Iudae Achatz metu percelleretur ob conspi-
 „ rationem regum Syriae & Israelis, Achatzi animum erexit per
 „ Prophetam Deus, eumque ab hostibus, Rezin rege Syriae &
 „ Peka

Peka rege Israelis certo assertum iri praedixit. Trepidante vero
 ac diffidente adhuc rege Achatz, defertur optio signi, quam
 ipse simulata pietate impie recusabat. Prorumpit igitur in haec
 verba Propheta: *audite iam domus Davidis, num quid parum
 vobis est fatigare homines, quod etiam fatigatis Deum meum?
 idcirco dat Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet &
 pariet filium.* His sane verbis virginei partus signum non datur
 regi Achatz, sed domui David ad Christum permanens, imo
 ipsum quoque Christum pariturae, prout recte autumat Chry-
 sostomus. Enim vero iam olim dominus promiserat Davidi,
 nasciturum ex eius semine Messiam, ideoque vt promissa prae-
 staret, tum familiam Davidis, tum urbem Solymorum serua-
 bat. Licet vero vtraque hac gratia indignos se reddiderint Da-
 vidis posteris, Deoque & hominibus molesti fuerint, tamen
 iterat reuocatque promissionem suam Dominus, vt manifestum
 faciat sibi constare animum de conseruanda, ob aduentum Mes-
 siae, & familia Davidis & vrbe Solymorum. Sensus effati diuini
 ad regem Achaz per prophetam hic est: *quam certum est, vel
 quam certo apud me sancitum est Messiam in lucem ex virgine
 editum iri, tam certo te ab his hostibus tuis immunem ac tutum
 praestabo.* Et paucis interiectis: „ Etsi enim natiuitas Messiae
 isto tempore non praesens, sed multo post futura erat; tamen
 per necessariam consequentiam demonstrabat euerti & aboleri
 non posse imperium Iudaeorum a duobus illis regibus, Rezin
 & Peka, qui id incredibili molimine tentabant. Nam quia
 in hoc regno Messias nasci, docere, & officium suum obire
 debuit, necesse erat politiam Iudaicam vsque ad Christi ad-
 ventum durare, eratque impossibile eam interea ab vllis hosti-
 bus euerti. Haec WINSTRUPIVS.

§. II.

Hoc autem vt patefcat plenius, ipsas nostri prophe-
 tici contextus partes singulas perlustrare iuuabit. Me-
 moratur hic initio OCCASIO nostrae prophetiae Cap. Occasio
Oratio-
nis.
 VII. 1. 2. vbi 1) tempus indigitatur, tum ratione guber-
 natoris reipublicae Iudaicae, quod nempe id factum fuerit
 in

in diebus Achas regis impii & idololatrae, ac à moribus patris & aui valde degenerantis (vnde non poterant non illi etiam, qui verè pii ex domo Dauidis erant, tristissima regno fata metuere, ob comminationes diuinas ipsi Dauidi & Salomoni praenunciatas, si posteri ipsorum à Domino recederent) tum respectu ipsius reipublicae Iudaicae, quod illa tunc esset grauius afflicta bellis, quum & Syriae Rex Elatham urbem occupasset, 2 Reg. XVI. 6. Ahasum in praelio vicisset, multosque abduxisset captiuos 2 Chron. XXVIII. 5. & Rex Israelis graui clade exercitum Iudaicum affecisset, centum & viginti millia armatorum vna die trucidans, quibuscum etiam Maeseja regis filius fuerat 2 Chron. XXVIII. 6. 7. Quae omnia statim post initium gubernationis ab Achaso susceptae euenisse, adeoque praesentem prophetiam anno circiter tertio Achasi factam esse, non incongrue obseruant viri docti. Indigitatur 2) nouarum calamitatum nuncius in regiam allatus (*). Licet enim reges Syriae & Israelis victricia arma iamdum ante protulerant usque ad Hierosolymorum obsidionem, ab ea vero desistere coacti fuerant: licet etiam Israelitae captiuos ducentes mille domum remiserant, iuxta notata 2 Chron. XXVIII. 9. sqq. adeoque iam halcyonia videretur Iuda habere: nondum tamen destiterant à consiliis infestandi Iudaeos. unde *nunciabatur domui Dauidis: duxit Syrus ad Ephraim*, h. e. copias suas ad Ephraimicum seu Israelis exercitum adiunxit. (**). Nominat sacer scriptor domum Dauidis, non solum Ahasum, quia totam Dauidis domum petebat, eique perniciem minitari videbatur ista coniunctio. Quamquam enim iam ante foedere iuncti fuisse Rezin & Peka recte dicantur: quum tamen visi fuerint contenti suis spoliis & victoriis, iam destitisse à bello; ista copiarum Syrarum adiunctio ad Israeliticas non poterat non grauissimum periculum portendere Iudaeis, & rebus Iudaicis afflictissimis plenum minitari exitium. Itaque indigitatur etiam 3) incussus

cussus hinc domui Davidis totique populo metus acerri-
mus, tanquam proxima occasio vaticinii. Qui graphice
describitur: *Et agitatum est cor eius et cor populi eius, sicut
agitatur arbor in sylva coram vento.* Ita enim ex coniunctione
illa exercituum ineuitabilis videbatur noua irruptio, vna-
que plena totius terrae desolatio, & omnium excidium;
quum vires eorum exhaustae essent, res attenuatae, &
quod maximum, conscientia atrocissimorum peccatorum
& profanae regis sui idololatriae ipsos angeret, iustaque
Dei ira ex comminationibus iam olim factis satis esset
cognita: quare vix poterat non etiam vere piis animus
metu concuti singulari. Re vera quidem grauiora metue-
bant, quam metuere debebant, quum spem omnem abii-
cere nondum debuissent de domus Davidicae ac reipubli-
cae Iudaicae conseruatione, quamdiu promissus & omni-
bus adhucdum expectandus Messias nondum venerat;
eaque propter ad Deum seria poenitentia debuissent hu-
militer accedere, eiusque implorare gratiam & auxilia.
sed tam degener atque ignobilis erat metus illorum, vt
nihil minus quam Deum cogitarent & Messiam suum, quin
potius impia foedera ineunda animo agitarent, & se As-
syrinis subiiciendi periculum foedere profano non vere-
rentur.

(*) Ita enim quae versu primo sunt memorata tanquam iam
ante facta consideranda sunt; neque tunc obsessa fuit Hieroso-
lyma, quum Esaias haec ad Achasum extra moenia vrbs loque-
retur: sed iam pridem à moenibus vrbs recesserant Rezin &
Pekach, & quum interim alia, quae memorauimus, euenissent,
putauerant iam Iudaei se nunc tranquille victuros esse. Nequa-
quam igitur sermo hic Iesaias, quod nonnullis visum est, durante
obsidione habitus esse putandus.

(**) Ita enim הַיָּמִין non videtur esse foemininum à הַיָּמִין
quiuu (Iesaias enim vocabulum הַיָּמִין in masculino genere
vsurpare solet. vid. versus 5tus.) sed ipsa radix alterius verbi *duxit*.
Neque tamen necessarium ideo est ellipsin hic statuere: quam vt
B deui-

deuident viri docti, maluerunt hic foemininum agnoscere. Sed videtur ex genio linguae vocabulum *duxit*, in re militari adhibitum, sine ellipsi connotare exercitum. Vt si in vernacula nostra dicas: Dieser hirt treibet zu dem andern, quilibet intelligit, de gregis vnus ad alterum adductione sermonem esse. Consentiant interpretes LXX, Chaldaeus, Arabs.

§. III.

*Causa
proxima
Oratio-
nis huius.*

Occasione ita memorata, subiungit iam Propheta diuinae bonitatis erga Regem tam impium, & populum metu adeo ignobili concussum nouum specimen. Diuinum nempe mandatum ipsi Prophetae factum, vt talia animo voluenti regi occurreret ipse, vna cum suo filio Schear Iaschub, ipso nomine suo spem longinquam (*) reliquiarum seruandarum ac reducendarum faciente: eiusque occurfus locus diuinitus designatus (***) vna describitur Es VII. 3. Pius Hiskias ingruente periculo mittebat ad Iesaiam: sed ad impium Achasum, nec de Deo nec de prophetis eius cogitantem, debet Propheta extra urbem in occursum exire.

(*) Forte ratio, cur tale nomen Iesaias filio suo imposuerit, commode petetur ex verbis Dei Es. VI. 13. promittentis, etiam quum vastata fuerit tota terra sancta & desolationi tradita, decimam partem in ea futuram & se conuersuram, & futuram ad accendendum (scilicet zelo verae fidei & sanctae doctrinae) alios vel ad ardendum ac lucendum (ita אור de luminari sancto adhibetur 2 Chron. XIII. 11.) vtpote cuius statumen seu fulcrum sit semen sanctum, semen scilicet illud mulieris, semen benedictum Abrahamae, semen sanctum Dauidis.

(**) De loco isthoc conferantur infra notata ad C. VIII. 6.

§. IV.

*Oratio-
nis exor-
diium.*

Sequitur hinc ipsa ORATIO prophetica. Cuius EXORDIUM sistit diuinam exhortationem ad mentis compositionem & tranquillationem, itemque Auditores a metus exorbitantia, & animi in aliud quam diuinum auxilium re-

cum-

cumbentia auertit, eosque ad Deum revocat, cui omnia hostium consilia satis sint cognita: quae igitur, pessima licet ac formidolosissima, non dubitat plene manifestare, nihilque eorum celat, non vt metum augeat (quantumuis haec ad id apta nata sint) sed vt monstret in manu eius, qui consilia illa omnia plenissimâ omniscientiâ cognouit, esse etiam illa eorumque euentum turbare ac euertere. Ita enim Dei verba ad se dicta refert Cap. VII. 4. 5. 6. *Itaque dic ei, Achaso, contine te tecum, (*) & quiesce, ne timeas, atque cor tuum ne mollescat à conspectu duarum caudarum (**)* titionum harum fumigantium, in furore irae Rezinis & Syrorum & filii Remaliae. Ideo, quod consultauit Syrus aduersus te malum, Ephraim & filius Remaliae, dicendo: *ascendamus in Iudaeam & eam vexemus, & inter nos discindamus (***) eam, & regnare faciamus regem in medio eius filium Tabeal.*

(*) Hebraeum *וַיִּשְׁתֵּי* respicere metaphoram à vino in suis faecibus residente & se conseruante, ex Raschi, Kimchio, & Aben Esra recte videtur annotare ad hunc locum Bohlius, qui mentem verborum Dei p. 17. ita exprimit: „O Rex Achas, tu times, & cor tuum vt folium arboris commoueri coepit, & propter hostes infensos desperabundus multa animum tuum sentis distrahere. Non respicis opus manuum Domini, sed multo magis regis Assur, & ita quidem, vt ad eum legationem meditari non erubueris. Tu Rex Achas vinum esse potes in oculis Dei tui & Dei patrum tuorum. Certo autem acesces, imo foetere te facies coram excelso, si non placeat confidere in faece propria, sed aliena, vt Assyriaca. Muta quaeso hoc consilium, & tecum erit Deus tuus.“

(**) *Caudarum* vocabulum prouerbialem phrasin sapit, petitam forte à facto Simsonis titiones inter vulpium caudas colligatas ligantis, quibus animalia illa Philistaeorum segetes accendebant. Vnde res in prouerbium abiisse videtur de illis, qui foedere iuncti inter se tamen minime consentiunt, dum vnus horum alter illorum tendit, & sibi ipsis aegre faciunt, se mutuo huc & illuc trahentes, & ad id saltem coniuncti, nolentes volentes, vt tertio damnum inferant. Id quod apposite quadrat in

coniunctionem copiarum Syrarum & Israeliticarum, quas Deus eo ipso indicat sibi mutuo infestas esse, & se inuicem facile attrituras, licet coniunctas iam ad vexandam Iudaeam.

(***) His verbis videtur primaria causa metus illius panici indigitari. וּפְּדָ non tam disscissionem in partes & dispartitionem notare videtur, quam omnimodam *dissipationem* & disiunctionem omnium: totius politiae, omnis societatis, nexus, harmoniae disscissionem & solutionem, quum omnia diruuntur. Sic vocabulum illud adhibetur Ezech. XIII. 13. de vento procelloso, & imbre inundante, & grandine immani, omnia diruente usque ad plenam consumtionem. Sic 2 Chron. XXXII. 1. Sanherib memoratur dixisse vel decreuisse, vt dissiparet illos Iudaeos ad se sine in suum commodum. Sic Cap. XXI. 17. dicuntur Philistaei & Arabes Iudaeam dissipasse vel diruisse וַיִּקְרַעוּ, adeo vt etiam abduxerint ex domo regia, cum omni apparatu, regis filios & vxores. Talia igitur etiam nunc Iudaeae decreuerant Pekach & Rezin, & praeterea constitutionem noui regis in terra, ex alia, vt videtur, gente; vt Iuda non amplius populus existeret, nec respublica, nec pristinae suae formae atque constitutionis quidpiam retineret. Videtur hoc ipsum sensisse etiam B. Ioannes Benedictus Carpzovius, summus & Theologus & Philologus, in homiliis vernaculis ad Iesaiiae euangelia dominicalia & fest. scribens, p. m. 565. *Rezin & Pekach non id solum animo versabant, uti terram Iudaicam corrumpere, sed etiam ut dominium & regimen à tribu Iuda tollerent, & hanc penitus eradicarent.*

§. V.

Orationis
proposi-
tio.

Peruenimus iam ad PROPOSITIONEM Orationis Iesaianae, quam profert summa vsus auctoritate, repetens nempe nomen eius, cuius ipse legatus ad Achasum existebat: sic dicit Dominus IEHOVAH, non stabilietur, & non erit. C. VII. 7. Quo igitur omnem illum super istis consiliis conceptum metum penitus euanidum reddere ac eradicare satagit. Quis enim metueret ab eo, quod ipse omnipotens & Regum Rex ac Dominorum Dominus dicit non staturum, imo non futurum esse?

§. VI.

Proposi-
tionis
funda-

Atque haec quidem diuina asseueratio de inanitate & eversione consiliorum hostilium sufficere poterat ad tranqui-

quil-

quillandos & componendos animos familiae Dauidicae ^{mentum,}
 & populi Iudaici, tanto terrore correptos. Noluit tamen ^{primo}
 Deus diues misericordia in his subsistere, neque satis ha- ^{tectius}
 bet suae saltem assertioni fidem adhibendam postulare, ^{insinua-}
 verum penitus animos fluctuantes de suae assertionis ve- ^{tum,}
 ritate conuincere laborat. Nimirum nolebat diuina gratia
 animos Achasi & reliquorum saltem haerere in fide pro-
 missionis de temporali eorum ab ingruentibus hostibus
 liberatione; sed simul (vt nunquam non facere solitus est)
 reducere partim eos, partim vero confirmare in fide sal-
 uifica in promissum toties summum Salvatorem & Libe-
 ratorem totius generis humani, à quo omnis omnium
 est salus. De quo pridem factae promissiones quia stare
 non poterant cum istis Pekachi & Rezinis aduersus Iudam
 ac Dauidis familiam consiliis, ad illarum meditationem
 & reminiscentiam excitare omnes Deus per prophetam
 satagit, idque tanto sollicitius & prolixius agit, vt simul
 Achasum, & cum eo ad idololatriam digressos, reuocaret
 ab ea ad verum unius veri Dei, in Messiae nomine exhi-
 bendum, cultum. Atque hoc igitur est vnicum, vt ab initio
 diximus, argumentum palmarium, quo Deus animos peni-
 tus ab omni hostium illorum metu sibi vindicare, & quod
 prorsus impossibilis sit consiliorum hostilium, quem tanto-
 pere metuebant, euentus, Iudaeos penitus conuincere, vtque
 secum habitent, atque in confidentia salutari diuinum
 auxilium praestolentur, ac in silentio & spe quieti mane-
 ant, omni formidine abdicata, omnes excitare satagit. Fa-
 cere autem istud videmus Deum primo tectius quasi &
 obscuriuscule, exploraturum quasi & omnibus manifesta-
 turum, quam attenta memoria Achas imprimis colat pro-
 missiones de Messia diuinas. Hoc enim volunt verba Dei
 quae sequuntur C. VII. 8. 9. vbi primo de Syris ait: *certe*
caput Syriae est Damascus & caput Damasci Rezin. Dein de
 Israele addit: *& in adhuc sexaginta quinque annis confringetur*
Ephraim ne sit populus. Porro de Israele ita vt de Syris
 subij-

subiicit: *Et caput Ephraimi est Samaria, Et caput Samariae filius Remaliae.* Denique sciscitatur de fide auditorum: *si non credetis?* additque: *certe non confirmabimini.* Illud profecto in his verbis manifestum & perspicuum est legenti ea cui-cunque, quod Deus iis monstret suum esse regna, & regias, & reges constituere. Mireris autem, cur dicat Syriae caput Damascum esse, & Damasci caput Rezinem, item-que Ephraimi siue regni Israelitici caput esse Samariam & Samariae caput Pekachum. Ecquis enim legitur, qui Damascum adimere Syriae, vel Rezinem Damasco; qui Samariam adimere Ephraimo, & Pekachum Samariae eripere tentauerit? Ecquis tunc erat qui illa metueret? quin potius cardo controuersiae & cardo terroris panici Iudaeorum in eo vertebatur, quod & Rezin & Pekach decreuerant depopulari & diruere Hierosolymam, ne sit amplius caput Iudaeae, & euertere atque perimere Ahasum & domum Dauidis, ne amplius existeret caput Hierosolymae, imo totam Iudaeam discindere. Atque vero de hoc tacet Deus, neque verbum addit, quod Hierosolyma sit caput Iudaeae & Ahas caput Hierosolymae. Haec qui considerat, facile perspiciet, id egisse Deum, vt argumenti, Ahasum de terroris sui vanitate conuicturi, praemissam saltem proferret, conclusionem autem ipsi faciendam relinqueret; vt pateret, numquae fides in diuinas promissiones supersit in corde Achasi & familiarium eius. De Syria enim & de Ephraimo nusquam promiserat Deus, quod eis vellet regias constituere Damascum & Samariam, harumque reges stabilire domos Rezinis & Pekachi: de Iudaea vero promiserat, quod ei principatus in Israele debeat competere, & quod eius caput Hierosolyma esse debeat, & quod huius caput esse debeat domus Dauidis, & quod illud regnum sit suum regnum, & quod thronus Dauidis suus thronus, & quod ipse adeo ibi vna regnet Deus, & quod aeternus Messiae thronus, omnibus gentibus imperaturi, in illa familia sit stabiliendus. Quod si
igi-

igitur Siracides recte dicit Cap XVII. 14. 15. in omnibus terris Deus constituit imperia, Israelis autem ipsemet gubernator extitit; multo magis Achasum oportuerat ita colligere: si Damascus esse debet caput Syriae, & Damasci caput Rezin, & Ephraimi caput Samaria, & Samariae caput filius Remaliae, de quibus nulla haecenus extitit diuina promissio, sequitur quod multo magis pro certo habere debeam, quod Iudaeae caput existere debeat Hierosolyma, & Hierosolymae caput domus Davidis, adeoque etiam ego ex illa oriundus & legitima successione regno praesidens: quum tamdiu etiam in rebus nimis dubiis & afflictissimis tot miraculis seruata fuerit respublica Iudaica, & in ea regnum Dauidicum, quando caetera regna, etiam Ephraimiticum, tot mutationibus, & horribilibus amplissimarum familiarum regiarum euersionibus fuerunt obnoxia; quum tot habeamus promissiones, quod regnum hoc non sit diruendum, modo reges eius in cultu vnici veri Dei sint perseueraturi, imo quod, quando etiam recesserint à vero Dei cultu, non tamen penitus dirui debeat Iudaea, nec euerti domus Davidis, donec stabilatur aeternus Messiae thronus; qui quum nondum adsit, manifesto id mihi atque omnibus debet esse indicio, quod nihil metuere debeamus à consiliis Rezinis ac Pekachi nec Iudaicae reipublicae euersio nec domus Dauidicae excidium possit euenire, nec ego ipse possim throno deiici, ne caput amplius Iudaeae existam, modo ab idololatria recedam, & veri Dei cultum sancte seruem, & modo confidamus in Dei tam sanctis, & toties asseueratis, & tam miraculose toties huc usque stabilitis ac seruatis ab ipso promissionibus, & eius expectemus auxilium. & alienis fidere desinamus, & quieti maneamus. Hoc igitur est argumentum Dei (*) in verbis istis, si explicatius sistatur. Ita volebat ac optabat altissimus, vt regni sui administrator atque subditi fidem suam declararent, dum eos praemissa conclusionis ad ita concludendum manu duxit benignif-

nignif-

nignissime. Vnde etiam patet, verba quae inserta sunt huic textus proposito argumento: *Et in adhaec sexaginta quinque annis (**)* *confringetur Ephraim, ne sit populus, nec alium in finem esse addita, quam in hunc ipsum, ut viderent promissionem illam de Messia patribus factam, praesertim Abrahae, Isaaco & Iacobo, seruandam in Iuda eiusque populo; quandoquidem ita manifestum euadat in regno Ephraim non seruandam esse. Ut inquam concluderent: si Ephraim ita conteretur ne populus amplius existat, non poterit Iuda ita excindi; quia non restaret de posteris Iacobi in quo promissio illa seruari posset (quae tamen non seruari non potest) nisi in Iuda, quae igitur respublica disscindi non poterit ita, ut non amplius sit populus, donec Messias venerit. Id quod etiam Iacobus patriarcha diserte de Iuda praedixerat Gen. XLIX. 10. Atque exspectasse hanc fidem à Iudaeis Deum, manifeste satis Deus indicat, subiuncta interrogatione: (***) *si non credetis?* eo enim illam quam exposuimus conclusionem quasi in os ingerit, & inculcat, ut fidem demonstrant, in usum suum & confirmationem arripiendo praemissa de Rezine & Pekacho, & de interitu populi Ephraimici. Inde vero, quum auditorum incredulitatem ex eorum silentio patescere videret, subiungit hanc quasi querelam: *certe non confirmabimini.* Vbi non de alia confirmatione loquitur, quam de illa quae cordum & mentium esse debebat, qua se continerent secum & quiescerent, & exspectarent auxilium Dei sui, neque aliena auxilia ambirent ab Assyrus, & ut firmiter crederent euanida futura consilia hostium, quum politia iudaica & populus hic disscindi & confringi ante Messiae aduentum non possit. Nequaquam autem illud *non confirmabimini* indicat, quod, si non credituri sint, futurum existat, ut hostium voluntati & arbitrio tradantur, atque excindantur, neque in terra ista amplius habitent. Id enim fieri non poterat ob infallibilem pristinorum promissionum certitudinem. Ita Paulus docet arguere*

arguere

arguere Rom. III. 3: *quid enim si quidam non crediderunt? num incredulitas eorum fidem Dei cassam reddet? absit.* Videtur autem Deus voluisse verba Iehoschaphati ex 2 Chron. XX. 20. in memoriam reuocare, qui suis id inculcabat: *credite in Iehouam Deum vestrum & confirmabimini.* Inde è contrario hic argumentatur: *si non credetis, certe non confirmabimini.* Fides enim in diuinas promissiones est *ὑπόστασις* ac firmum fundamentum animorum in spe futurorum, & conuictio de iis quae nondum videntur, imò sensibus humanis videntur impossibilia existere. Ebr. XI. 1.

(*) Parum abit ab hac nostra interpretatione sententia *PLACAEI*, quam inuabit hic annotare, sicut eam exhibet Guffetius in *Vesperis Groeninganis*, p. 454. sq. Ait nempe signum Achazo proponi, quo confirmaretur id, quod Dei nomine ei propositum fuerat, scilicet non simpliciter irrita fore consilia regum Retfini & Pekahiae de Iudaea capienda, & rege filio Tabeae in ea constituendo; sed ideo irrita fore, quia caput Syriae Damascus, & caput Damasci Retfin, caput Ephraim Samaria, & caput Samariae filius Romaliae: quo significatur regnorum Syriae & Ephraim nullum aliud esse caput Retfino & filio Romaliae superius, vnde penderet illorum vis & imperium; & innuitur in regno Iudae rem non ita se habere: Achazum non esse illius caput quo nullum sit superius, supremum illius caput esse Deum, qui vim duorum illorum Regum regnum istud infestantium cohibeat, quando tempus sit, & regnum Iudae tueatur. Illud autem dicit esse confirmatum non visibili signi exhibitione, sed declaratione solemni, veritatis notas prae se ferente, fore, vt caput illud regni Iudaici Θεὸς ἐκ Θεῶ fieret, tempore praestituto, partu virgineo visibile, sitque Deus cum Iudaeis, visibiliter appareat, & à piis agnoscat, quando λόγος factus fuerit caro in vtero virginis. Eundem illum esse, qui Dauidis domum & regnum Iudae saluum tueatur, necquicquam obstantibus regum extraneorum consiliis: & credendum Deum aliquando manifestandum in carne, qui sit etiam tunc supremum regni Iudaici caput &

C

pro

protector, ipsis non defuturum, & ab illo sperandam esse in aduersis liberationem, & ad illum in omni calamitate esse confugiendum, illum qui iam tunc temporis erat illorum Immanuel. &c. In qua sententia *PLACAEI* illud saltem cum grano salis est capiendum, quod Rezine & Pekacho in suis regnis superiorem non fuisse adserit, in regno Iudae autem supremum Regem Deum extitisse. Id enim verum non est, nisi in tantum, quod peculiari aliqua ratione Deus in republica Iudaica supremus existeret Imperator, & peculiari praesentiae modo regnum illud moderaretur, gubernaret ac defenderet. Alias enim utique Deus est Rex omnium gentium supremus. Prov. VIII. 15. 16.

(**) Quae de numeratione annorum istorum interpretes differunt, nostrum non est repetere. Iudaei plerique, & cum iis non pauci Christianorum, initium computationis constituunt à prophetia Amosi contra Ephraim C. I. 5. III. 11. 12. VII. 11. 17. Atque certe si in Amoso legeremus mentionem annorum sexaginta quinque, nihil esset quod obstaret isti sententiae. Quod enim hic legitur *לעשר*, nihil aduersatur, quum *ל* non praecise indicet initium nunc demum inchoandum, sed saepe continuationem & tempus decurrens. Conuenientiore tamen existimo illorum interpretationem, qui annos illos sexaginta quinque ab hac prophetia Esariae demum inchoandos statuunt. Id vero obseruandum, quid sit stilo scripturae *non esse amplius populum*; nimirum non id fieri quacunque immutatione formae reipublicae, vel si populus regem amittat, vel *αὐτονομίαν* perdat, ut non sibi ipsi ius dicere possit in civilibus & criminalibus, sed alii subsit genti vel populo: quin potius, si simul ita aboleatur, ut ab alia gente prorsus absorbeatur, nullo cultus diuini, nominis, institutorum, ac rituum peculiarium discrimine ab aliis dignoscatur Ps. LXXXIII. 4. Ita vero Ephraim demum desisse videtur populus esse tempore Manassis regis Iudae, quando Asarhaddon penitus eum disturbauit, relictis quamuis paucissimis; ubi ad idololatriam semper pronus Ephraim gentibus ita permittus est, ut nec vestigium eius supersit. Ita vero tribus Iuda nunquam desit esse populus, neque in captiuitate babilonica, neque quando sub Antiochis affligebatur, neque quando sub Romanorum extitit iurisdictione ac dominio:

atque

atque etiam nunc, & ad finem usque seculi, manet populus. Sicut etiam olim in seruitute Aegyptiaca, & antequam reges acciperet Israel, sub tot gentium variarum tyrannide populus semper exitit peculiaris.

(***) Particulam **■** multoties interrogatiuam esse, linguae Hebraeae gnaris ignotum esse nequit. Ita v. g. Moses Num. XI. 22. interrogat; *num* omnes pisces maris huc congregabuntur? & Nathan 1 Reg. I. 27. quaerit: *num* à domino meo rege verbum hoc factum est? & Isaac Gen. XXVII. 21. quaerit: *num* tu es filius ille meus Esau, *an* non?

§. VII.

Quum videret Deus ille, vere magnus misericordia, satis patere quam parum cogitent de Messia rege & de expectandis pridem factis promissis, vt nullo modo assequerentur vim argumenti tectius propositi: progreditur nunc ad illud manifestius exponendum, ita tamen, vt imprimis Achasum, vtpote omnium maxime à vera fide dilapsum, non tamen ignarum doctrinae salutaris diuinae, vtpote à piis parentibus in vera educatum religione, laboret non manuducere tantum, sed cogere quasi & constringere, vt ipse inueniret ac profiteretur, cur nondum possit fieri, vt Iudaica respublica & domus Dauidis euertatur. Sciscitatur igitur annon eius rei signum habeat, quod desideret vel expectet vel exoptet siue ex coelo siue ex inferioribus; an vero omnem spem seruandae à Deo domus Dauidis & reipublicae prorsus abiecerit, vt nullum penitus ei suppetat *τεκμήριον* & signaculum, quo fidem suam tantisper stabilire posset. Non omnino male Aben Esra ad verba proxime praecedentia, annon credetis? annotauit, ibi iam tacite signi postulationem Deum innuisse (*). Deficiunt, scribit, quaedam, & sensus completus est: *petite signum. Hinc est quod infra scribitur, & perrexit loqui Dominus de petendo signo. Videtur enim, quod postquam propheta*

Accessit ad fundamentum illud clarius proponendum.

Exploratio fidei Iudaeorum de Messia exspectanda.

dixisset, si non credetis, non responderit Achas: interpretatio vo-
 cis וימנן quia non est fides in vobis. Fides certe nititur
 testimoniis τεμπηλοισ, miraculis, quae omnia signorum
 nomine Hebraei indigitant. Non potest autem praestan-
 tius existere signum, quod fidem firmiter fundet ac stabi-
 liat, quam diuina promissio. Prodigia enim fallacia pos-
 sunt esse, diuinum verbum fallere non potest. Dum igitur
 sciscitatus fuerat Deus; annon credetis? certe etiam
 illud subindicauerat, annon aliquod suae fidei superstes
 in animo haberent fundamentum, signum, verbum &
 promissum diuinum, quod expectarent vel desiderarent,
 quo fidem suam sustentarent atque alerent. Quum vero
 Achas & reliqui adstantes suo silentio profiterentur, se talia
 non cogitare, propius accedit Deus ad exprimendum eis
 quasi fidei quod haberent signum, vel si plane excidissent
 omni fide, ad eam signi veri noua inculcatione denuo in-
 generandam. Ita vero legimus Cap. VII. 10. 11. & addi-
 dit (***) Iehouab loqui ad Achasum dicendo: pete tibi signum à
 communione Iehouab Dei tui, profunda petitionem aut exalta ad
 supremum. Probe notandum, quod velit signum peti, à
 Iehouah, eoque tanquam Deo ipsius, quod is non est nisi
 per Messiam, & quidem à communione עִמּוּנָה Iehouae
 petendum vult, siue ex eo vnde nobis cum Deo commu-
 nio existit; sed in non alio est hominum cum Deo com-
 munitio, quam in illo qui & Deus & homo est $\text{אֱלֹהִים עִמּוּנָה}$ Deus
 in communione nostra siue nobiscum. Hunc vult vel ex
 his conuallibus terrae peti פִּי אֲדָמָה ut nascatur in terra; vel
 ex coelis detrahi, vt dirumpat coelos ac descendat. Et
 profecto videtur Deus omnino respexisse ad verba Mosai-
 ca Deutr. XXX. 11-14. Neque tum tam ignota fuisse
 putanda est verborum illorum interpretatio, quam Paulus
 Rom X. 6.-10. attulit, quam hodie est inter Iudaeos.
 neque enim & Apostolus videtur illam allaturus fuisse,
 nisi eo tempore adhuc inter Iudaeos illa familiaris & in-
 confesso fuisset. Et forte Rabbi Salomon Iarchi ex an-
 tiquae

aliquae interpretationis traditione seruauit, quod ad praesentem apud Esaiam locum habet, verba Dei ita exponens: *pete tibi signum in profunditatibus abyssi vel infimo terrae, ut exsuscitet tibi mortuum, aut eleua sursum siue alta pete, ut postules signum in coelis.* Iste tamen Iudaeus utique non nisi profanum sensum istis verbis concepit. Ita enim gens illa temporalibus solummodo semper affixam habet mentem, ubique non nisi temporalia signa, prodigia & transitoria portenta quaerens, ad temporalium bonorum confirmationem obtinendam: quum tamen ipsi Iudaei nequeant inficiari, semper id agere sacros scriptores, ut a temporalibus ad coelestia animos reuocandi & imprimis ad fidem in Messiam excitandi occasionem sumant. (***) Atque si etiam praesentem apud Esaiam contextum curatius contemplantur, ipsimet refragari non poterunt, non potuisse afferri argumentum efficacius ad abolendum terrorem ab hostibus incussum de instante politiae Iudaicae ac domus Dauidicae euerfione, quam illud, quod vi diuinarum promissionum non possint euerti Iudaei & domus Dauidis ante aduentum Messiae; imo re vera non aliud, quam hoc, hic a Propheta, imo ab ipso Deo per Prophetam, probari ac virgeri deprehendent. Vnde facilius etiam poterunt perspicere, signum hoc loco non aliud, quam huic argumento congruum, & optioni Achasi oblatum, & a Deo propositum esse; imo non potuisse signum afferri efficacius ad fundandam fidem de nondum excindenda domo Dauidis & Iudaea, quam ipsam Messiae expectandam natiuitatem, ex Dauidis domo, in Iudaico populo, ipsaque in terra Iudaica quod euentura sit, dudum promissam.

(*) Videatur Samuel Bohlius Comment. Bibl. Rabb. super orationem tertiam Iesaiamam p. 37. sq.

(**) Verba haec prophetae forte sunt non historice narrantis, quid illo actu loquendi contigerit coram Achaso, sed pergentis in sua oratione, & memorantis, sicut versu 7. *coeperat, sic dixit*

Dominus Iehouab; ita nunc: *Et perrexit Iehouab loqui ad te Achasum, dicendo. Mandauit mihi iam antequam ad te venirem, etiam hoc ut dicerem: pete tibi signum.*

(***) Videatur Ioan. Saubertus in Palaestra Theologico-philologica, diss. de Haalma matre Immanuelis, C. III. §. VI. p. 154. sq, ubi instituta Ps. LXXXIV analysi monstrat Dauidem etiam v. 10. de Messia vaticinium immiscere. Simile exemplum habemus Es. XXXVII, 31. 32. &c.

§. VIII.

Vtinam in hoc intelligendo sapientiores existerent nostrae aetatis Iudaei, quam Achasum regem hoc loco deprehendimus. Quem Propheta memorat ad oblatam signi optionem respondisse: *non petam et non tentabo Iehouam* C. VII. 12. ex qua responsione patet, quod Achas nequaquam affecutus fuerit diuini argumenti ac postulati scopum ac vim hilarificam & salutarem. Apparet enim quod de tali signo diuina verba accepit, cuius postulatio-
ne Deus possit tentari; quum Deus eum duceret ad pe-
rendam natiuitatem Messiae, tanquam vnicum, optimum, maximum signum, quod domus Dauidis & populus iudai-
cus euerti non possit; & cuius signi petitio Deum nequa-
quam tentare poterat, quin potius non poterat non ac-
ceptissima Deo existere: sicut illam natiuitatem etiam alii sancti expetierant. v. g. Gen. XLIX. 18. Ps. XIV. 7. CXIX. 174. Ies. LXIV. 1. &c. Atque quum illa Messiae natiuitas singulari cum asseueratione promissa esset Dauidi ex eius posteris expectanda (vnde gratiae Dauidis certi-
ficatissimae dicuntur Ies. LV. 3.) nullus non posterorum illius tanto magis confidere poterat, totum citius peritu-
rum mundum, quam vt domus Dauidis ante Messiae il-
lam natiuitatem periret; imo & illud tanto magis expe-
tere quotidie à Deo, & expectare, vt quantocius ille pro-
missus Messias nasceretur. Atque, si forte propter ingra-
vescentia

*Iudaeo-
rum de-
prehensa
in fide
stupiditas.*

vescentia populi ipsiusque domus Dauidicae peccata iustus potuisset metus existere, sublaturum esse Deum illam à Dauidis familia & à populo Israelitico gratiam; tanto magis instare debebant precibus apud Deum, ut ne à promissionibus suis tam disertis totiesque confirmatis recederet. Ita ipse Salomo iam precum huiusmodi exemplum praeiuerat 2 Chron. VI. 42. Iehouah Deus, ne retrouertas faciem siue personam Messiae tui, recordare gratiarum Dauidis serui tui. & Ps. CXXXII. 10. propter Dauidem seruum tuum ne retrouertas faciem Messiae tui. Toto vero coelo errauit Achas, dum à Deo putauit talis signi postulationem sibi iniungi posse, qua ipse Deus tentaretur. Atque docet nos Achas hoc suo exemplo, quale sit hypocritarum ingenium, quod nempe etiam illa, quae Deus in ipsorum commodum iis offert, non putent serio sed tentandi ipsos animo eum proferre, quemadmodum ipsi quod agunt in Dei cultu nunquam agunt serio & ex sincero in Deum affectu: Ita & Achas putabat, quod Deus nunc saltem tentandi causa obtulerit signi optionem, num petitione signi ipse Deum tentare haud vereretur. Adeo nempe desciuera à cognitione & memoria sanae de vero Dei in futuro Messia cultu doctrinae, ut ignoraret signum quod à Deo petere posset, imo quotidie deberet, non tantum absque tentatione Dei & licite, sed etiam cum Dei beneplacito & ex Dei voluntate. Fide igitur in Deum saluifica destitutus gratis simulabat se declinare peccatum tentandi Dei, quum eo ipso multo peccantiozem neglectum, incuriam, & obliuionem veri Dei in Messia rite colendi profiteretur, corde autem insuper dubitationem nihilominus de veritate & euentu promissionis de liberatione à Rezinis & Pekachi insultibus aleret, imo ei fidem plane non haberet (vti ex euentu patet, quo Achas, insuper habita tota hac Dei per Esaiam satis proluxa oratione, tamen ab Assyrio Rege potius auxilia petere voluit, quam à Deo promissa expectare) vnde vel
saltem

saltem signum aliquod temporale aut portentum petere potuisset ad stabiliendam promissioni illi apud se fidem.

§. IX.

Ipsam
funda-
mentum
proposi-
tionis,
sive
signum
fidem
eius
funda-
dans.

Praemis-
sa in cre-
patione.

Ita vero Deus, detecta Achasi, & cum ipso facientium, summa in diuinis incuria, qua non poterant vim argu-menti ipsos tranquillaturi capere, imo Deo illud inculcanti vndique obicem ponebant; procedit iam eo, vt disertius illud & dilucidissime exponat. Praemittit tamen seueram increpationem illius inaduertentiae, obliuionis, ac neglectus Messiae: & dixit, (*) *audite quaeso, domus Dauidis, an parum est vobis fatigare homines, quoniam fatigabitis etiam Deum meum?* C. VII. 13. Interpretes quidem existimant, redarguere his Deum istud, quod Achas recusaue-rit petere à Deo signum. Si vero omnia consideratius pen-sitemus, patebit non tam Deum istud reprehendere, quam potius quod adeo incurii & negligentes sint diuinarum promissionum, vt nec sciant, quodnam in rerum tam af-flictarum solatium expetere & expectare debeant melioris spei signum & argumentum. Patet id 1) inde, quia, misso Achaso, ad totam *Dauidis domum* sermonem dirigit, de qua versu 2 dictum fuerat, quod ob coniunctionem exercitus Syri cum Israelitico terrore acerrimo fuerit concussa. Hu-ius terroris causa sicut nihil aliud fuerat, quam incogitan-tia & obliuio diuinarum promissionum de Messia, hanc certe potius communem culpam Deum redarguere statu-endum est, quum totam *Dauidis domum* alloquitur, quam singulare Achasi factum, quum ab eo sermonem reflectat. Patet id 2) quia tale *domus Dauidicae* factum reprehen-ditur, quo Deus, (***) non secus ac homines, fatigetur. *ἄνθρωπον πόνειρε* hic manifeste agnoscitur. Est autem fa-tigare aliquem, facere vt is eundem laborem saepius ad taedium usque repetere debeat. Non enim fatigatur facile vir laboris amans & desidiae inimicus, si novos subinde labores cum fructu & profectu expediat: sed, si eosdem
semper

semper cogatur repetere, inprimis sine vlllo profectu, & Sisyphi quasi saxum voluere. Sic Iobus Cap. XVI. 7 queritur: nunc fatigauit me dolor. Gen. XIX. 11 Sodomitae dicuntur fatigati ad inueniendum fores Lothi. Es. XLVII. 13 de Babele dicitur: fatigata es in multitudine consiliorum tuorum. Sic Deus ipse Ies. I. 14. de hypocritica festorum celebratione queritur: fatigatus sum ad ferendum. Et Ierem. XV. 6. fatigatus sum miserendo. Et eo significatu inprimis Hebraeum מְאִיִּם occurrit. Attamen Malachiae II. 17. etiam מְאִיִּם eodem significatu adhibetur, vbi Deus queritur: fatigatis Iehouam verbis vestris. & dicitis, in quo fatigamus? in eo, quod dicitis, omnis faciens malum bonus est in oculis Iehouae, aut, vbi est Deus iudicii? Ecquid enim est Deum fatigare, quam poscere, vt increpet ac puniat impios? quod infinities fecit. Atqui pari modo etiam in loco nostro dicuntur fatigare Deum, qui, quum toties Messiam promiserit, tamen, quasi nunquam Deus promississet, nihil inde spei & solatii norant sibi capessere, & semper Deum adigunt nouas dare promissiones, actum agere, & pristinos repetere labores. Simul autem Deus arguit regiam familiam, quod eodem modo etiam hominibus fecerint labores irritos, v. g. affictos easdem querelas multoties repetentes sine auxilio quum dimitterent, vt semper frustra laborem implorandi iustitiam repetendo tandem fatigarentur. Ita vero Deus hic non tam facto Achasi, quo renuebat petere signum (quod Deus lubens dabat) se fatigari poterat dicere, quam tremore familiae Dauidicae, obliuiscens diuinarum promissionum, (***) quas Deus toties repetendo fatigabatur quasi, quum videret inaniter suam impendi operam. Habebant enim innumeras eam in rem Dei annunciationes. Ita Ps. LXXVIII. 67. sqq dicitur: *Dominus reiecit tentoria Iosephi, & non elegit tribum Ephraim, sed elegit tribum Iuda, montem Zion quem amat; & aedificauit iuxta altissima sanctuarium suum, tanquam tellurem fundauit illud in seculum,*

D

lum,

lum, & elegit Dauidem seruum suum. Ps. LXXXVII. 1. 2: Fundamentum eius (Messiae videlicet) est in montibus sanctis, Iehouah amat portas Zionis plus quam omnia habitacula Iacobi. Ps. LXXXIX. 21. 38: Inueni seruum meum Dauid, unxi eum oleo sanctitatis meae, manus mea tuebitur eum, & brachium meum eum roborabit. Hostis eum non seducet, & filius iniquitatis eum non opprimit. -- In aeternum ei seruabo gratiam meam, & foedus meum ei manebit firmum. Semen eius in aeternum, & thronum eius seruabo quamdiu coelum durabit. -- Semen eius aeternum erit, & thronus eius coram me sicut sol, sicut luna in aeternum seruabitur, & SICUT TESTIS IN NUBIBUS certus erit. Ps. CXXV. 1: Confidentes in Domino sunt sicut mons Zion, qui non dimouebitur, in aeternum sedebit. Ps. CXXXII. 13. 14: Elegit Iehouah Zionem, concupiuit ad habitaculum sibi, haec requies mea usque ad aeternum, hic sedebo quia concupiui eam. versu 17: ibi germinare faciam cornu Dauidi, disposui lucernam Messiae meo. versu 18: hostes eius induam pudore, & super ipsum florebit sertum eius. Huc pertinet totus Ps. LXXII. item primaria promissio Dauidi facta 2 Sam. VII. 14. 15. 16. 1 Chron. XVII. 13. 14. Huc pertinent promissiones Hoseae I. 7. 10. 11. Cap. II. 19-23. Cap. III. 5. Cap. VI. 1-6. Ioelis IV. 1. 20. 21. Amos IX. 8-11. Obadiae v. 17. Michae II. 12. 13. Cap. IV. & V. Cap. VII. 11-20. Nahum I. 15. item Ies. I. 8. 9. 26. 27. Cap. II. 2-5. Cap. IV. 2-6. Cap. VI. 13. Imprimis notari hic merentur verba 2 Regum VIII. 19: & non consensit Dominus ad perdendum Iudam, propter Dauidem seruum eius, postquam promiserat ei, dandum ei tamen filiis eius omnes per dies. Quod 2. Chron. XXI. 7. exponitur: et non consensit Dominus ad perdendam domum Dauidis, propter foedus quod pepigit Dauidi, & posteaquam promisit dandum ei lumen & filiis eius per omnes dies. In tanto ac multo ampliore promissionum diuinarum numero de seruando Iuda & Dauidis domo, ignorare signum, quod fidem de non abolendo populo per Rezinem & Pekachum, & per eos non euertenda Daui-

Daui-

Davidis familia firmare debebat, id profecto erat fatigare Dominum, vt quasi frustra impenso pristino labore subinde nouas promissiones repetere cogeretur.

(*) Plures haec de Propheta capiunt, ac si ille se ipsum haec dixisse referat. Sed quum non scribat, *& dixi*, vel, *& dixit Iesaias*; sed simpliciter, *& dixit*; non de alio haec possunt commodè accipi, quam quem v. 10 memorauerat loquentem: *& addidit Iehouah loqui ad Achasum.*

(**) Nihil obstat quo minus haec tanquam ab ipso Deo dicta capi possint, quod loquens eum, qui à domo Davidis fatigatur dicat *Deum suum*, יְיָ אֱלֹהֵי. Est nempe Iehouah, qui hic loquitur, secunda persona, quae Patrem suum dicit Deum suum. Sicut & post resurrectionem Ioh. XX. 17: ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, ad *Deum meum* & Deum vestrum. Sic & paulo post v. 14 idem Iehouah eundem Deum suum, qui signum istud domui Davidis daturus sit, appellat dominum יְיָ אֱלֹהֵי.

(***) Consentire nobiscum videtur Franciscus Iunius Parral: L. I. paral: 4. prope initium, p. m. 1383. T. I operum, scribens: *Apud Esaiam videtur hoc signum quasi exprobrari in os regi Achaso & familiae eius, vt amplificetur perfidiae vel infidelitatis illorum indignitas, quod tam certis & singularibus Dei promissionibus non acquiescerent; ac proinde obsignari familiae illius condemnatio, qua nimirum dignitate regia spolianda praedicitur. Disertius autem ibidem prope finem p. 1385 scribit: Prius signum v. 14 Iesaias pronunciauit in hanc sententiam: qua conscientia, o Rex, promissionibus Dei potes dissidere? repudiare oblata signa? Deumque magis ac magis fatigare? nonne Deus inde à principio dedit ecclesiae signum de semine mulieris & filio virginis, in quo benevolentia eius, & fides vestra acquiescant, omnesque promissiones Dei sint etiam & Amen ab aeterno? imo nonne vobis, o domus Davidis, nominatim facta est illa promissio, vt ab ea in rebus communibus & singularibus pendeatis? quodsi haec promissio non*

excitat fidem vestram, saltem infidelitatem ob signatura est, & Deus propter suam veritatem hanc liberationem praestiturus; sed ea lege, ut tua infidelitas tibi constet magno: prout sub finem capituli exponitur.

§. X.

*Ipsum
signum
fidem
fundans
indica-
tur.*

Monstravit autem se & hac vice infatigabilem diuina misericordia. Pergit igitur ille, qui hactenus locutus fuerat, Iehouah C. VII. 14: profecto לָקֵן ex disposito, (*) ex veritate dabit Dominus (appellat hic אֲדֹנָי illum, quem paulo ante dixerat אֱלֹהֵי) ille ipse הוּא, quem modo nuncupaueram Deum meum, vobis signum. Dabit & exhibebit vobis signum non nouum, sed illud quod dudum vobis disposuit, & sexcenties ac saepius promisit, id certe ac infallibiliter exhibebit. (**). Futurum quam maxime hic, vt saepe, perpetuitatem continuam actionis indicat: quasi, non cessat vobis dare. Inde signum ipsum memorat: ecce virgo illa concipiens & pariens filium, & vocabis nomen eius Immanuel. Hoc est illud signum fidem salutarem & aeternum saluificam stabiliens, hoc est etiam signum fidem faciens de non abolendo & discindendo populo Iudaico & domo Dauidis per Rezinem & Pekachum, quum antequam virgo illa pepererit, impossibile sit eos perire vel confundi, vel dissipari ac euerti, ex quibus virgo illa pronasci debet & Immanuel ipse prodire. Hoc igitur etiam signum est fidem faciens promissioni diuinae nunc de praesenti factae. Inde addit idem Iehouah v. 15 butyrum & mel comedent, vsque dum cognoscant eum rejicere malum & eligere bonum. id est, terra haec lacte & melle fluens habitabitur, usque dum ipse ille Immanuel cognoscetur malos a bonis separare in extrema Hierosolymorum & terrae huius desolatione. Sed de his nihil nunc addimus, quum peculiari capite ea plenius, largiente diuina gratia, simus exposituri. Id saltem iuuabit hic annotare, quod praeceptor meus etiam post fata honorandus,

randus, D. IOAN. ANDR. DANZIVS, in diff de Partu Vir-
ginis miraculoso, §. V. p. 13 monuit: "liceat, inquit, hanc
hypothefin adoptare, quae neglecta in hoc loco expo-
nendo tot haftenus difficultates caufauit, & reuera
fui contemtum vindicauit. Nempe dicendum videtur,
fuisse tempore Prophetarum receptam inter Iudaeos
sententiam, *Messiam ex illibata, aliquando ex posteris Dau-*
dis oriunda, virgine nasciturum esse. Id quod illis minimum
ex proteuangelio Gen. III. 15. innotuisse docet, (***)
eiusque doctrinae passim in antiquis Iudaeorum monu-
mentis vestigia adhuc reperiri §. VII indicat; item §. VIII,
quod Messias Iacobo Gen. XLIX. 10 & Iudaeis passim
Schilo dicatur, indeque §. XIII. p. 25 subiicit: "Iam quasi
ita ratiocinatur propheta: si iuxta vos aliquando nasci-
tura est *העלמה* virgo illa, pariens filium, qui *Θεός*
ἁγίος seu *עֲמִנוּאֵל* erit, ergo iam perire non debet per
hostes imminentes domus Dauid, alias enim frustrata
esset vestra exspectatio, Deique veracissimi promissio
fallax. Quod vobis cogitare est blasphemum. „ Certe
indicato hoc fidei signo, argumentum iam aduersus tre-
morem domus Dauidicae & populi Iudaici efficacissimum,
& ad sedandos animos sufficientissimum, Deus diserte
fatis atque manifestissime exposuerat.

(*) Sicut *לֵךְ* saepe nominis significatum habet, si non
semper, & rectum, bene dispositum, considerate ordinatum,
basin, constitutionem, notat, ita & hic *לֵךְ* eundem significa-
tum retinet, vti multoties. Sic Iesaias XXX. 18. atqui ex
disposito exaltatur, vt misereatur vestri, Ier. V. 2: & quum, viuis
Iehouah, dicunt, ex *disposito* ad mendacium iurant. Iobi XX. 2:
ex *recto*, *disposito*, vel ad *dispositum* cogitationes meae reducunt
me. Vbi etiam Rabbag id exponit *תַּנְכַּח*.

(**) Non praesens illud signum esse, quod Iesaias ipse
fatis clare indicauit, annotauit etiam bene Flacius, in Clauo,

D 3

voca-

vocabulo Alma p. m. 32: ipsemet propheta, inquit, testatur, illud miraculum conceptionis & partus futuris aliquando post longum interuallum temporibus à Deo dandum esse, quia praedicit praecessuram esse antea captiuitatem Assyriacam, & etiam Babylo- nicam, ut eam praedictionem ad tempora Messiae referri sit necesse. Neque tamen bene argues, quia signum hoc dicitur tempore fu- turo dandum, quod non idem sit tale quod iam antea Deus sae- pius dederit & annunciarit. Quin potius non amplius quam hoc inde poteris inferre, quod Deus idem iam toties datum signum nunc noua ratione denuo det, & iam iam daturus ac pronun- ciaturus sit, tanquam nouum signum, etiam praesentis diuinae pro- missionis fidem omnibus firmare aptum.

(***) Eadem adstruit B. D. Ioan. Benedictus Carpzouius in homiliis ad Iesaiæ euangelia Dominicalia p. 575 sq.

§. XI.

*Adiecta
signo illo
noua
promissio
praesen-
tis opitu-
lationis.*

Vti vero facile patet non vltius ex se & nunc protendi debere argumentum hoc, aequè atque signum in quo funda- tur, quam ad monstrandam vanitatem consiliorum Syri & Ephraimi de excindendo populo Iuda, & euertenda fa- milia Dauidis, & ad excutiendum huius euersionis ac depopulationis timorem: ita, Messiae illa atque partus virginei infallibilis promissione non obstante, poterant tamen interea res Iudaeorum ac domus Dauidica nihilo secius grauissime affligi, attenuari, subiugari & atro- cissimis pressioibus, concussionibus, mutationibus & deportationibus esse obnoxia. Etenim isthaec praedicta quoque fuerant ipsis esse euentura, quia nimirum à vero Dei patrum suorum cultu declinaturi sint ad idololatriam: numquam tamen ita penitus supprimendos eos fore, quin aliquae reliquiae illorum in terra sint futurae, atque etiam ex deportatis & captiuatis reuersurae, quae bonis terrae, lacte ac melle fluentis, sint fruiturae, vsque ad Messiae aduentum. Atque quum hae domui Dauidis ignotae non essent

essent

essent diuinae comminationes, quum earum etiam multae nuper demum essent editae, Hoseae V. 5. sqq ad fin. Cap. VIII. 14. Amos II. 4. 5. Cap. V. 27. VI. 1-7. Michae I. 9. 13 sqq. Cap. II. 3-5. 10. III. 12. IV. 10. 11. & per ipsum Iesaiam Cap. I. 24 sqq. III. toto. V. 5. 6. 7. 24-30. VI. 11. 12, incerti adhuc esse poterant, imo non poterant non esse, & Iudaei & regia Dauidis domus, annon per Rezinem ac Pekachum istae comminationes in euentum deducendae essent, an vero per alios, (praesertim quum Amos Cap. V. 27. de eorum ultra Damascum deportatione locutus fuerat) quantumuis interea certissimi existebant ex diuino illo signo, quod non possint discindi & funditus euerti. Placuit igitur diuinae benignitati explicatius sistere promissionem v. 7. datam: non stabilietur & non erit vel fiet, quod nempe Rezin & Pekach decreuerunt: quod scilicet non tantum non terram & populum & familiam Dauidicam penitus destructuri & extirpaturi sint, sed ne quidem vexaturi & afflictiuri amplius, quoniam ipsimet Pekach & Rezin propediem sint delendi: eoque ipso (licet ex sententia nonnullorum etiam huius promissionis seruandae Immanuel olim ex virgine nascendus signum etiam esse possit, quippe qui & nunc iam cum iis praesens sit) aliud adhuc addit promissum, ac simul prolixius iam indicat, quo tempore & quali in reipublicae ac domus Dauidicae statu Messias sit expectandus, in statu nempe utique afflictissimo & rebus valde attenuatis, cuius tamen causa neque Rezin neque Pekach sint futuri, quippe qui propediem delendi, sed longe alii, imprimis ex Assyria & Aegypto expectandi hostes. Ut tamen interea semper quidam eorum mansuri sint in terra melle & lacte fluente, qui butyrum & mel comedant. Postremum primo loco Deus per Prophetam proponit Cap VII. 16-25. ita tamen ut initio versu 16 asserat à Pekacho & Rezine nihil esse metuendum. *Certe, inquit, antequam puer noscet reicere malum & eligere bonum, relicta eris tellus, quam tu auersaris;*

saris;

saris, ô domus David, à facie vel respectu duorum Regum suorum. Versiculus hic profecto fundamentum videtur esse plerarumque difficultatum, quae interpretes hic in diuersissimas sententias distraxerunt. Vnde etiam diuersimode verba haec explicare susceperunt. Vbi duae praesertim eminent interpretaciones, ut dubites vtra sit praefenda. Altera, si de ipso virginis filio haec dicta esse capias, ut Deus moneat, non se velle antea prolatis id dicere, quod tam propinquus instet dies filii virginis, ut vna cum illo expectandam sit auxiliū aduersus Rezinem & Pekachum, sed se ideo diserte hoc velle ipsis notificandam, quod antequam puer ille Immanuel iudicium suum sit exerciturus, terra hostium sit à Regibus suis deserenda. Id quod intra triennium fieri debebat, & re vera factum est, adeoque quam proxime; ceu illud propheta Capitis sequentis priore parte clarius determinat. Vt sensus verborum praesentium sit: *certe tamen non interea vos tradam furori istorum hostium, sed antequam puer hic è virgine nascendus noscet ipse iudiciali ista cognitione (ita וְנִי adhibetur etiam Prov. XXIX. 7) reicere malum & bonum eligere, imo diu ante (& ut mox vobis disertius erit demonstrandum, ex alia Dei iamdum edita praedictione, quam proxime, antequam puer alius iam natus poterit clamare, mi pater & mea mater) relicta erit sellus, quam tu auersaris &c.* Nec est quod in hac interpretatione difficultatis quid habeat, nisi quod filius virginis & Immanuel nunc וְנִי puer ille nuncupetur. Quod enim particulam וְ attinet, necesse non est ut causalem illa hic significatum habeat, quum frequentissime asseuerandi *), particula sit, imo etiam haud raro aduersatiua, (***) vti linguae gnaris nequit incognitum esse. Altera sententia est illorum interpretum, qui articulum וְ in וְנִי non volunt esse demonstratiuum sed indefinitum, hoc sensu: *certe antequam puer aliquis noscet reicere malum &c.* Nec obstat quod וְ non frequenter videatur indefinitum esse.

esse. Nam & mox Cap. VIII. 3. הַנְּבִיאָה est indefinite prophetissa aliqua, neque enim quaedam prophetissa antea fuerat nominata, vt demonstrari posset exserto quasi digito. Sic הַנְּעָרִים est puer aliquis Num. XI. 27. item 2 Regg. IV. 19 vbi etiam v. 18 הַיּוֹם est dies aliqua indefinita. Sed plus difficultatis huic interpretationi obstruit, quod de quocunque puero sic adhibeatur phrasis illa, quae de iudicio Melliae adhibita fuerat, noscet reicere malum & eligere bonum. Licet enim exempla non desint adhibitorum in eadem oratione sub diuerso significato eorundem vocabulorum, (***) hic tamen rei his verbis significatae grauitas talem verborum deflexionem videtur respuere. Vnde priorem sententiam malle praeferre. Neque incongruum erit Messiam dici הַנְּעָרִים, quem in officio suo spectatum Deus etiam alias seruum suum nuncupat Ies. XLII. 1. LII. 13. LIII. 11. Zach. III. 8, & πᾶσιδα Matth. XII. 18. conf. Act. III. 13. 26. IV. 27. 30.

(*) Habuimus exempla significatus huius supra v. 8. 9, ita etiam Propheta noster Cap. XXXIX. 8. de Hiskia: Et dixit, certe erit pax & fides in diebus meis. It. Cap. LXVI. 8, certe Zion parturit &c. sic & Cap. XXXII. 13. Ps. XXII. 10 &c.

(**) Ita multi hanc particulam capiunt v. 8. ita occurrit etiam Ezech. XIV. 20, sed vel nihilominus sic dicit Dominus &c. Ier. VIII. 14, sed Iehouah Deus noster silere nos fecit. Malach. I. 11, sed ab oriente solis.

(***) Sic Ierem. VIII. 14. Ingrediamur in ciuitates munitas וְנִשְׁבְּנוּ & quiescemus ibi: at Dominus Deus noster וְנִשְׁבְּנוּ quieros nos reddet dando bibendum nobis succum cicutae quia peccauimus Domino. Sic Rom. II. 26. si praeputium iustitias legis custodiat, nonne praeputium eius in circumcissionem reputabitur? Ioh. XVI. 32: instat tempus, vt dispergimini quisque in sua, meque solum relinquatis: sed non sum solus, quia pater mecum est. Sic 1 Tim. VI. 5. quum reprehendisset Apostolus eos qui pietatem existimant quaestum esse, subiicit v. 6. est autem quaestus magnus pietas.

E

S. XII.

§. XII.

Argu-
mentum
primari-
um ube-
rius de-
clara-
tum.

Declara-
tio pri-
ma, cer-
tificans
habitatio-
nem ab
ipsis ter-
ram in
statu af-
flictissimo

Iam igitur ne existimarent adstantes, semper ob Mes-
siam fore splendidam domus regiae conditionem, & po-
puli Iudaici, & terrae illorum, pergit Deus de eo edocere
dilucidius illos, vt posteri ad scandala crucis, & immi-
nentium calamitatum praemunirentur. Atque sicut Iacob
Gen. XLIX. praedixerat, & sceptrum à Iuda esse tollen-
dum, & legislatorem à medio pedum eius, antequam
Schilo veniat: ita Deus id hic explicat, quomodo vtrum-
que sit euenturum: prius quidem in eis quae in prae-
senti capite restant, posterius autem in iis quae haben-
tur capite sequenti, imprimis à v. 14 ad finem; ita tamen
vt semper doceat aliquas usque ad Messiam superfuturas
esse reliquias in illa terra. Videtur autem Propheta, ob
eam quam maxime rationem digressus ad prolixiorem de
domus Daudicae, per Assyrios futura, afflictione tracta-
tionem, vt auerteret Achasum à consiliis suis, quibus Assy-
riorum aduersus Damascenos & Ephraitas auxilium implora-
re susceperat. Et revera quum illud dein actu implorauerit,
eo ipso Assyriorum aduersus se potentiam & amplificauit &
excitauit. De priori igitur dicit: *adducet super te, ô domus*
Daudis, *Iehouab*, ille quem & Dominum & Deum meum
vocaui, & *super populum tuum*, qui tibi parerit ex tribu
Iuda non tantum, sed & ex Benjamin, ex Simeon, ex
Leui, & ex reliquiis decem tribuum, & *super domum patris*
tui, nempe super ipsam etiam tribum Iuda, *dies*, qui non
venerunt inde à diebus quibus recessit Ephraim ab eminentia Iudae,
nempe cum rege vel ipsum regem Assyriae (*) Cap. VII. 17.
Facile autem patet, regem Assyriae hic non dici certam
aliquam personam Assyriis imperantem, minime omnium
vero solum Tiglath Pilnessarem, vel solum Sanheribum
(ab his enim regibus non tristia venerunt tempora Iudaeis,
qualia non & antea habuerint) sed Rex Assyriae per
sullepsin dicitur, quicumque ex Assyria terra Iudaeam af-
flicturus fuerat. Vnde hic comprehenduntur & Assar-
haddon

haddon, & Nebucadnezar, & ipse etiam Antiochus Epiphanes, qui & ipse tunc Assyriae dominabatur, quando Iudaeam affligebat omnium atrocissime, cum suis successoribus Ita Esdrae VI. 22. & tertio Esdrae VII. 14. Darius Persa dicitur Rex Assyriae.

(*) Emphasin habet, quod Propheta absque connectendi particula & absque praepositione aliqua, toto posteriori versiculi hemistichio, haec saltem verba exhibet: *Regem Assur*; indicans quasi hunc ipsum esse illos dies malos quos Deus sit super totum populum adducturus.

§. XIII.

Disertius hoc explicat dein Deus, ita pergens Cap. VII. 18: *Et fiet in die vel tempore illo ipso, sibilabit Iebouab muscae, quae est in termino fluuiorum Aegypti, & api, quae est in terra Assur. v. 19. & venient & quiescent omnes illi ad riuos desolationum (*) vel forte tuguriorum, & ad cauernas petrarum, & ad omnia uepreta & omnia aluearia. (**)* v. 20. *In die illo condebit Dominus per nouaculam conductitiam, per accolas flauii, per Regem Assur, caput, & pilum pedum, atque etiam barba ipsa absumetur.* Patet ex his, sermonem esse de die vel tempore longinquo, quod nempe vineam suam iam posuit *כר*, iuxta caput V. v. 6. quo terra iam valde est vastata: vt neque de Nebucadnezare, & Pharaone Necho commode ista possint capi. Vnde id ad tempora potius post reditum ex captiuitate babylonica pertinere conspicitur, nempe tempora Ptolomaeorum Aegypti Regum, imprimis Lagidae & Philopatoris, & ad tempora Antiochi Epiphanis, eiusque in Syria & Assyria successorum. Atque ipse etiam ille Antiochus, quum in terram sanctam & populum Iudaicum furere incipiebat, ex Aegypto illuc ascendebat. Causa vero, cur Deus illos sub muscarum & apum imagine sistat, non in illarum gentium natura quaerenda videtur (licet Aegyptum imprimis muscis abundare obseruarint alii, praesertim circa

Describitur afflictio, per quos, & quantum sit futura:

E 2

loca

loca Pyramidum) sed in eo, quod butyri & mellis mentionem Deus fecerat, in terra seruandi usque ad virginis partum. Inde, quum ad mella etiam è longinquo apes attrahi constet, (***) & ad lacticia quam maxime congregentur muscae (vt etiam Homerus inde aliquoties (*) instituerit comparationem) placuit Deo indicare hostes illos sub specie animalium lac & mella appetentium: aitque se ipsum ea aduocaturum. Sicut enim & muscae & apes murmur quoddam ac sibilos edunt, ita etiam eo feruntur, vbi sentiunt sibilos & murmura aliarum. Indeque ipse Deus se dicit ista animalia sibilo quasi accersiturum, ad castigandum nimirum populi sui flagitia & impietatem. Atque etiam apud profanas gentes apum peregre aduenientium infausta esse omnia putata sunt (**). Observare autem hic adhuc licebit, quo modo in ista quasi effigie muscarum atque apum Deus allegoriam ferret. Nam & apes libentissime confident prope riuos limpidos. & sicut apes indigenae, vt alibi, ita etiam in terra sancta, dubio procul non tantum in aluearibus, arte in earum vsum factis, sed etiam in arboribus, & petris, & virgultis, (***) mellificiis suis vacarunt: ita sistuntur apes peregrinae tanquam omnia talia loca petentes, vt indigenas apes suis spolient bonis. Intelliguntur autem imprimis Assyrii (hi enim quam maxime spoliandi gratia accesserunt, non aeque Aegyptii; sicut & a muscis non tanta lacti damna inferri solent, quanta melli à latrociniis apum peregrinarum,) qui nulli loco pepercerunt, vt terram penitus diruerent. Atque si vsquam, hic certe locum habet, quod alii interpretes v. 15. de mystico butyri & mellis significatu annotant, quod illa doctrinam salutarem verbumque Dei indicent; nam haec quam maxime Antiochus Epiphanes à Iudaeis tollere, eaque corrumpere laborauit. Et quod additur, Dominum in illo die tonsurum per regem (*) Assur caput, & crines pedum; & ipsam barbam esse absumendam: *capitis quidem tonsura* vide-

vide-

videtur notare demtum tribui Iudae & domui Davidis sceptrum & imperium, quum illo tempore ad Maccabaeos eorumque posteros, ad sacerdotalem familiam, peruenerit: *abrasio autem crinis pedum* videtur plenariam denudationem populi, & manifestationem pudendae impietatis, leuitatis, & ad idololatriam pronitatis notare. Vnde quod & *barba absumenda* (**) dicitur, eo ipsius cultus veri Dei publici atque templi dedecoratio & profanatio intelligi recte putatur; quando & Alcimus sacerdos deficiebat, & alii sacerdotalem dignitatem pretio redemerunt, & se inuicem ab ea deturbarunt.

(*) *Riuus desolationum* qui debeant vocari, vix commode poterit explicari. Neque patet, cur vocabulum נַחֲשׁוֹן , quod non iterum occurrit, interpretes exponant per desolationes. Videntur autem hunc significatum collegisse ex eo, quod capite V. 6. occurrat singulare נַחֲשׁוֹן , attamen sine Dagesch forti (id quod item nunquam in sacro codice recurrit vocabulum;) vbi non alium quam Desolationis significatum admittere videatur. Attamen si conferas, quae Cap. VII. 23. sqq. de vineis dicuntur in pascua armenti & gregis conuertendis, conuenientius forte erit etiam illud Cap. V. 6. exponere: & constituam illam (scilicet vineam meam) נַחֲשׁוֹן tugurium vel caulam vel pascuum; & praesentem locum cap. VII. 19. etiam exponere, *fluvios* siue riuos *tuguriorum* vel pascuorum, ad quos nempe adhuc habitant aliqui armentis & gregibus operam dantes. Ita vocabulum נַחֲשׁוֹן & נַחֲשׁוֹן , sicut litteris proxime conuenit cum בֵּית & בֵּית , ita etiam significatu propius accedet, vt paruum domum, casam, vel tugurium pascuorum gratia obseruandorum exstructum notet.

(**) Vocabulum נַחֲשׁוֹן itidem incerti sunt interpretes, num ab נַחֲשׁוֹן potius deducant, vbi de arboribus vel locis laudabilibus explicant, an a נַחֲשׁוֹן *ducere*, vbi id exponunt de ductibus viarum. Quodsi attenderis, hic omnia congruere allegoriae de muscis atque apibus, conuenientissime נַחֲשׁוֹן signare

poterunt aluearia ex virgultis ductilibus efficta: vt apes illae peregrinae dicantur non tantum apum syluestrium labores in cavernis petrarum & vepretis, sed etiam cultiorum in aluearibus congregatarum, depascere. Memorat istiusmodi aluearia Virgilius Georgicorum IV. v. 34: *seu lento fuerint aluearia vimine texta.*

(***) Ita & Aristoteles docet, Historiae animalium L. IV. Cap. VIII. p. m. 915. d. apes mel procul sentire.

(*) Sic Iliade II. v. 469 sqq.

Ἦντε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλὰ,
ἄτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν
ᾠρη ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δέυει·
τόσσοι ἐπὶ Τρώεσσι κερηκομόωντες Ἀχαιοὶ
ἐν πεδίῳ ἴσαντο διαβραῖσαι μεμαῶτες.

Sicut muscarum confertarum gentes multae,
Et quae circa caulam pastoralem oberrant,
Hora in verna, & quando lac vasa rigat:
Tot contra Troianos capite comati Achiui
In campo stabant vastare flagrantes.

Et Iliade XVI. v. 641 sqq. describens pugnam pro cadauere Sarpedonis, dicit

Οἱ δ' αἰεὶ περὶ νεκρὸν ὀμίλεον, ὡς ὅτε μῦλαι
σταθμῶ ἐνὶ βρομέωσι περιγλαγέαις κατὰ πέλλας
ᾠρη ἐν εἰαρινῇ ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δέυει.

Hi vero semper circa mortuum conueniebant, vt quando
muscae

In caula susurrant lacte plenas circa mulctras,
Hora in verna, & quando lac vasa rigat.

(**) Exempla plura annotauit Vlysses Aldrouandus de Insectis, L. I. p. m. 37. Posset hic imprimis conferri, quod apud Virgilium legitur de examine apum, in lauru arbore Latini regis,
filiam

filiam Turno elocaturi, viso, vbi ita Aeneidos VII. 464 sqq.
 Huius (sc. arboris) apes summum densae, mirabile dictu,
 Stridore ingenti, liquidum trans aethera vectae,
 Obsedere apicem, & pedibus per mutua nexis
 Examen subitum ramo frondente pependit.
 Continuo vates, *externum cernimus*, inquit,
Aduentare virum, & partes petere agmen easdem
 Partibus ex iisdem, & *summa dominarier arce*.

(***) Ita Phocylides in Nuthetico v. 160 sqq.

Κάμνει δ' ἠερόφοιτος ἀριστόπονός τε μέλισσα,
 Ἡὲ πέτρης κόιλῃς κατὰ χηραμὸν, ἢ δονάκεσσιν,
 Ἡ δρυὸς ὠγυγίης κατὰ κοιλάδος, εἶδεθι σίμβλων,
 Σμήνεσι μυριότητα καὶ ἄνθεα κηροδομῆσα.

Id est: Laborat autem aëriuada & labore praestans apis
 Aut petrae cauae circa specum, aut in arundinibus,
 Aut quercus Ogygiae circa cauitatem, intra aluearia
 Examinibus innumeros circa flores, cereas cellas struens.

conf. Aldrouandus de Insectis, L. I. p. m. 21. z. a. Item videatur Deuter. XXXII. 13. Videntur autem □ יִצְיָצַב, quod vocabulum non recurrit nisi Es LV. 13, aut arbores notare quae cauitates habent, aut tales quae multis floribus mel apibus ministrant, qualis est acacia.

(*) Non negligendum est, quod hi Reges Assur per appositionem dicuntur *accolae fluminis*, καὶ ἐξοχὴν nempe dicti, Euphratis scilicet: vt indicetur, locum magis respici, vnde perduelles aduersus Iudaeam pugnae & calamitates ingruant, quam certam regum familiam, illam, quae κυρία Assyriaca dici soeuit. Vnde etiam semper Assyriam metuisse videntur. Certe hinc esse putares, quod Esdrae VI. 22 Darius Persarum Rex dicatur Rex Assur, quod illo, qui Assyriae etiam tunc imperabat, Iudaeis propitio, nihil iam ab Assure timere deberent, à quo alios non nisi calamitates sibi expectari posse nouerant. conf. quae paulo post ad Caput X. v. 5. notamus. Atque hoc respectu etiam mentio regum Assyriae facta videtur Nehemiae IX. 32.

(**) Non

(**) Non videtur necessum esse, vt הַבְּרִיחַ statuas secundam personam, & apostrophemingas, qua loquens hic vel ad Assyriae Regem, vel ad ipsum Deum, dolore quasi concitatus, inflectat sermonem. nam verbum הַבְּרִיחַ non tantum actiuo significato esse *consumere*, sed etiam intransitiuo *consumi, deficere*, dudum obseruarunt Lexicographi. Et זָרָא barba in hebraeis saepe est foeminini generis. Caeterum conf. Ezech. V. 1. 2. Item quae de leproso mundando habentur Lev. XIV. 8. 9. Nimirum corpus ipsum reipublicae alicuius, & tribus Iudaicae, mansurum innuitur, sed priuandum omni suo decore.

§. XIV.

Habita-
tanda
tamen ab
ipsis ter-
ra, lacte
& melle
abunda-
tura in
mediis
calami-
tibus.

Pergit autem deinde summus noster orator ostendere, quo modo nihilo fecius, in afflictissimo illo rerum Iudaicarum statu, tamen conseruanda adhuc sit terrae foecunditas pro iis qui reliqui sunt ex populo Dei, vt et butyri & mellis abundantia iis suppetitura sit; imo & verbi Dei, si ita velis interpretari (quo sensu omnia quae sequuntur allegorice essent assumenda, non intuito prorsus propheta nostro, Cap. IX. 18. X. 17. conf. Caput XXVII. 4. LV. 13. Michae VII. 4. Ezech. II. 6. 2 Sam. XXIII. 6 sq.) & salutaris doctrinae superfutura sufficientia. Ita vaticinatur: *Et fiet in die siue tempore illo ipso, nutriet vir vitulam armenti, & duas oues. Cap. VII. 21. & v. 22: & erit a multitudine faciendi lactis comedet butyrum. Certe butyrum & mel comedet omnis qui relictus est in medietullio terrae. Quo vero modo id praestandum sit, adiicit, pergens v. 23. & vel nam, fiet in die siue tempore illo ipso erit omnis locus, vbi erant mille vites pro mille argenteis, in senticetum & in vepretum erit. v. 24, cum sagittis & cum arcibus ibunt illuc: quia senticetum & vepretum erit tota terra. v. 25: & omnes montes, qui sarculo sarriebantur, non ibis illuc timore senticeti & vepreti, & erit ad immissionem bouis & ad conculcationem ouiculae. Ita nimirum fiet vt pascua abunde sufficiant armentis & gregibus, vnde lac & butyrum possint*

sint

sint conficere. Et simul in istis locis habebunt apes sylvestres vbi mel abundantissime conficiant. Commentarii vice ad haec verba Iesaiana, esse poterunt verba Dei Ier XXXI 24: *Et sedebunt in ea terra, post solutam captiuitatem babilonicam, Iuda siue Iudaei, & in omnibus eius urbibus simul, tanquam agricolae, & proficiantur siue vltro citroque terram obibunt, cum grege.* Atque in huiusmodi fere statu terram perseuerasse vsque ad Saluatoris nostri tempora, vel inde licet perspicere, quod Iohannem Baptistam legimus mel sylvestre comedisse, & ipsum nostrum Saluatorum toties in deserta secessisse, ibique etiam multitudini ipsum prosequenti concionatum esse, eamque miraculose cibasse. Quamuis negandum non sit, illo tempore terram haud parum meliorem acquisiuisse faciem, quam habuerat tempore Antiochi & successorum eius.

§. XV.

Quae de hinc sequuntur, plurimi ita capiunt, ac si propheta finito sermone, Dei nomine haecenus proposito, iam etiam facto aliquo progressus sit, ad faciendum fidem vaticinii de tollendis Rezine & Pekacho. Quidam vero Prophetam in eodem sermone coram Achaso & cum eo praesentibus pergere statuunt, & in confirmationem dictorum commemorare, quae iam paulo ante à se gesta sint in hanc rem ex diuino mandato (*). Atque haec posterior sententia verior mihi videtur, ob nexum quem sequentia habent intimum cum praecedentibus, imprimis quod etiam v. 8 ac 10 Immanuelis repetat mentionem, & de eius natiuitate huiusque tempore plenius edoceat; tum etiam quod ad testes v. 2 prouocet, quod videtur superfluum esse, si tunc demum à facie Achasi ad prophetissam abiisset, vbi vel ipsum Achasum, vel ex eius Aulicis quosdam statim secum testes abduxisset potius. Id igitur agit nunc Propheta, vt ostendat Deum non hoc demum in momento decreuisse vastationem Damasci ac Samariae,

E

sed

*Secunda
declara-
tio argu-
menti
primarij,
Recitati-
one alius
vaticinii
paulo
ante
accepti*

sed quod ea iam antea fuerit decreta. Redit videlicet ad propositum, postquam de sufficientia lactis & mellis ad sera vsque tempora, satis firmauerat dicta v. 15 Capitis VII, etiam probare pergit, quae ibi v. 8 dixerat: non stabit & non fiet consilium Rezinis & Pekachi; & imprimis quod v. 16 addiderat: antequam puer cognoscet reuicere malum & eligere bonum, deseretur tellus, quam fastidis, respectu duorum regum eius. Si igitur concipias Iesaiam in coepto coram Achaso sermone pergentem, facilis erit sequentium sensus ac interpretatio. Ita vero insit Cap. VIII. 1: *atque dixit vel dixerat iam antehac Iebouab ad me, cape tibi volumen magnum, & scribe super illud stilo hominis: pro Maber Schalal CbasibBas.* Vbi sane non id dicitur, quod nihil aliud scriptum fuerit in illo volumine, sed titulus voluminis saltem indicatur, id quod praefixum nomini h. clare satis indicat. Quid vero in illo volumine fuerit scriptum, num quae sequuntur v. 5 sqq, an aliud aliquod vaticinium, nostra non interest scire. Sufficit quod illud testibus, atque ipsi Achaso, reliquisque tunc adstantibus, innotuerit, siquidem non tanta fuerit horum incuria, ut neque resciscere illud desiderauerint. Pergit autem Propheta commemorare suam erga diuinum mandatum obedientiam, tum etiam qua id fecerit circumspectione, ne forte diceretur in re tanti momenti aliquod nunc demum confingere. Ita pergit v. 2: *& contestatus sum mihi testes fide dignos, Uriam sacerdotem (cuius etiam est mentio 2 Regg XVI. 10 sqq) & Zachariam filium Ieberetbiae (qui forte est ipse socer Achasi, & auus maternus Hiskiae, hic enim Zacharias dicitur 2 Regg. XVIII. 2. 2 Chron. XXIX. 1.)* pergit v. 3: *& appropinquavi (***) ad prophetissam quandam, atque erat grauida & pariebat filium, nimirum illo ipso tempore, quo propheta cum testibus ad eam venerat, parturiuit ac peperit.* Ideo vero videtur expresse memoratum esse, quod illa fuerit prophetissa, quia alias non forte facile ad se in partu laborantem admisisset homines

pere-

Proponitur illud vaticinium praecedentem.

peregrinos. *Et dixit Iehouab ad me, voca nomen eius Maber Schalae ChafibBas.* Additur ratio huius agnominatio- nis, ob quam historia haec nunc quam maxime fuerat comme- moranda, v. 4: *quia antequam hic puer sciuerit clamare mi pater & mea mater, collent potentiam Damasci & praedam Samariae in facie regis Assur.* Haec autem depraedatio Samariae non capienda erit de eius ultimo excidio per Salmanassa- rem sub Hosea rege illato, sed de alia, quae iuncta fuit euersioni Damasci, factae, uti dictum, & uti ex 2 Regg. XVI. 9 patet, Achasi tempore. Ita enim etiam 2 Regg. XV. 29 memoratur Tiglath Pilessar Assyriae Rex terram Israeliticam infestasse. Quo igitur tempore ista etiam Sa- mariae depraedatio videtur obtigisse. Forte illa ipsa Gileadis & terrae Naphtali occupatio, & deportatio ha- bitatorum eius, hic *depraedatio Samariae* dicitur, quum Sa- maria tanquam metropoli & sedi regiae demtum fuerit, quicquid imperio eius fuerat ablatum.

(*) Taceo illorum sententiam, qui prophetam hic existi- mant memorare, quae sibi in visione euenerint. Nullum enim adest indicium sufficiens, quod haec in visione gesta putari de- beant. Neque facile est descendendum eo, ut visionem statuamus, ubi tam disertis verbis res tanquam vere gesta narratur.

(**) Nulla est necessitas כרק exponere de appropin- quatione maritali, quam, si vnquam, rarissime saltem significat, v. g. forte Gen. XX. 4. Lev. XVII. 6. 19. Neque stabilitur sen- tentia illorum, licet plurimorum certe ea sit, vilo argumento ex verbis textus, quod prophetissa fuerit vxor Iesaias.

§. XVI.

Non satis existimauit Deus praedixisse interitum duo- rum regum, & depraedationem Samariae, addit etiam rationem, propter quam Samaria & Israelitarum regnum vastationi debeat subiacere, & quantam Iudaea etiam inde calamitatem sit subitura, ita tamen ut aduersus hanc

*Idem va-
ticinium
illustra-
tur.*

F 2

irritos

Expli-
cando
vasta-
tionis
regni
Ephrai-
tici
causas
& mo-
dum.

irritos omnium conatus fore annunciet. Ita pergit Cap. VIII. 5: *& adiecit*, tunc nempe, quum ista apud prophetissam gesseram, *Iehouah loqui ad me adhuc, dicendo, v. 6: ideo quia respuit hic populus ille ipse aquas huius Schiloach euntes abscondite vel in lenitudine, & gaudet cum Rezine & filio Remaliae, v. 7: atque propterea vel ex disposito ecce Dominus ascendere facit super eos aquas fluminis illius validissimas illas & maximas, regem Assyriae & omnem eius gloriam, numerosissimum eius exercitum. conf. Prov. XIV. 28, & 2 Chron. XXXII. 9, 21, & supergredietur super omnes alueos eius & ibit super omnes ripas eius.* Sunt quidem magni nominis interpretes, tum Iudaei tum Christiani, qui per *populum illum* aquas Schiloach respuentem ipsum populum Iudaicum intelligant: quia tamen nullum existat in historia sacra indicium, quod vel quidam faltem ex populo Iudaico conspirarint cum Rezine & Pekacho, ne dum quod totus populus Iudaicus eius posset insimulari, quum potius tot iam iniuriis per Reges illos affecti non potuerint non eos auersari & abominari: praestabit cum Hieronymo, aliisque veteribus pariter ac recentioribus per *populum isthunc* intelligere populum Samaritanum siue Israeliticum proxime commemoratum. Non autem temere populi fit mentio, sed, vt manifeste patet, ideo, vt ille non iniustas subire poenas intelligatur, cuius nempe eadem quae Regis sui mens existat, idem affectus, idem gaudium. Quid autem velit propheta per commemorationem *aquarum Schiloach* & reiectionem illarum, & quo modo harum ad commemorationem descendat, de eo grauior est interpretum dissensus. De quo nostram sententiam virorum doctorum iudicio paucis exponemus. Videtur nempe *Schiloach* illa ipsa esse piscina superior, ad quam Iesaias, ex diuino mandato Cap. VII. 7, sermonem hunc ad Achasum perorauit. Id quod in Hebraeo articulus η huic, licet proprio nomini, praemissus probat η η , vt exserto quasi digito propheta locum, ad quem stabat, demonstrare cerneretur.

Voca-

Vocatur Ioan. IX. 7, etiam Κολύμβηθρα τῆς Σιλωάμ *piscina Siloae*, atque etiam Nehemiae III. 15 dicitur בְּרֵכַת הַשִּׁלֹּחַ *piscina Schelach*; nec dubitandum videtur eandem esse, quam Nehemias c. II. 14 *piscinam regis*-dixerat. Obseruarunt viri docti Schickardus (*) & Glassius (***) ex Chaldaeo Paraphraste ad 1 Regg. I. 33. 38, fontem Gihon, ad quem Salomo in regem vnctus est, etiam dictum esse Schiloach. Hinc igitur factum esse videtur, vt piscina haec dicta fuerit piscina Regis. Imo & piscinam Salomonis dictam esse ex Iosepho (***) patet. Equidem Doctissimus Carpzovius (*) piscinam Salomonis à piscina Schiloach diuersam esse existimat, & illam quidem dictam superiorem, hanc vero inferiorem. Sed ipsam piscinam Schiloach, siquidem sit ipsa piscina Gihon, dictam esse superiorem patet ex 2 Chron. XXXII. 30, ubi de Hiskia memoratur: obtexit exitum aquarum Gihon illum superiorem. His positis facile iam erit perspectu, quid velit Iesaias, adspersionem aquarum Schiloach memorans? nimirum ideo Samaritanos esse vastandos, quia spernant regnum Iuda & regiam Davidis familiam, in isto loco regiam vnctionem (***) accipere suetam. Vnde vero nomen Schiloach venerit piscinae Gihon, licet recentius existat, non constat. In loco Ioan. IX. v. 7 eius datur interpretatio, quod idem fit ac *missus*. Vbi Beza annotat: interpretatio vocis consulto ab Euangelista additur, quia fons ille templo vicinus quotidie Iudaeos aduenturi Christi monebat, quem tamen sibi oblatum adspernati sunt. Forte Iesaias simul alludere eo voluit ad nomen Messiae Schiloh: (***) parum enim differunt nomen שִׁלֹּחַ & שִׁלֹּה. Certe dum regiam Iudae familiam spernebant Samaritani, spernebant etiam ipsum Schiloh eorum ac Messiam. Atque ad hunc potissimum respicit, quod de aquis Schiloach annotat Iesaias, quod eant שְׁכַח, quod forte potius à שָׁח vel שָׁחַ *abscondere, obuoluerere* deducendum erit, quam vt sit nomen שָׁח *lenitas* cum praefixo ה. Si enim vera sunt, quae

Hieronymus (*) de his aquis prodidit, abscondite magis fluere aquae illae dicendae erunt quam leniter. vti & Glassius (***) eum 2 Chron. XXXII. 4 torrentibus inundantibus annumerari aduertit. Et sic etiam de Messia Iesaias noster Cap. XLV. 15 dicit: reuera tu es Deus abscondens te, Deus Israelis Saluator. Licet etiam lenitas utique Messiae competat: de quo idem Iesaias Cap. XLII. 2. 3. dicit: non vociferabitur, & non extollet & non audiri faciet in platea vocem suam, arundinem contusam non franget, & linum caligans non extinguet. Ob hunc igitur talem aquarum Schiloach talium contemptum Propheta Samaritanis denunciatur exundationem fluminis Euphratis terram eorum penitus euersuram. *Fluuium* autem in sacris litteris saepe κατ' ἐξοχήν Euphratem dici, inter omnes constat.

(*) In Iure Regio Hebraeorum Cap. I. theoremate 4to p. m. 73, vbi p. 72. plura in hanc rem annotauit doctiss. Carpzouius.

(**) In Rhetorica sacra, tractatu primo, Cap. X. p. m. 1235.

(***) De Bello Iudaico L. VI. Cap. 38.

(*) In notis ad Schickardum l. c.

(**) Allegauit Schickardus l. c. p. 72 locum Talmudis: *gradunt nostri Doctores, non ungi reges nisi apud fontem, ut prorogetur regnum illorum, sicut dicitur 1 Regg. I. 33, deducetis eum ad Gihon.* Caeterum licet diuino nutu separatae fuerant decem tribus à tribu Iuda & à subiectione domus Dauidis: noluerat tamen Deus ideo contemni domum Dauidis, sed eam utique tanquam Messiae familiam omnibus voluerat semper esse venerabilem. Ierobeam autem inani metu, quod sui aliquando ad Dauidicae domus obseruantiam redituri sint (quum tamen nosset diuina constitutione sibi regnum obtigisse) contemptum domus Dauidicae introducebat, peculiarem instituens cultum: quem etiam successores eius mordicus seruabant. Vnde illis iam iusta huius contemptus poena denunciatur.

(***) Nol-

(***) Nollem tamen ideo facere cum illis, qui Gen. XLIX. 10 fingunt חֲלָשׁ Iudaeorum fraude positum esse pro חֲלָשׁ, quos refutauit Glassius Philologiae sacrae L. I. tract. I. p. m. 51 sqq.

(*) Ita ille: *Silam fontem esse, ad radices montis Zion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, & per terrarum concaua & antra saxi durissimi, cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos praesertim, qui in hac habitamus provincia.*

(**) In Philologiae sacrae Rhetorica l. c.

§. XVII.

Quid vero terra tribus & regni Iudaici sit inde captura detrimenti, addit iam Propheta, Cap. VIII. 8 pergens: *Et permeabit in Iudaeam, inundabit, & transibit, usque ad collum pertinet. Et erit extensionibus alarum eius plenitudo latitudinis terrae tuae, o Immanuel.* Patet etiam hinc nomen regis Assur collectiue sumi, non vt vnicam notet personam. Ita quum Tiglath-Pilnessari res feliciter aduersus Rezinem & Pekachum succederet, Salmanasser eius successor Hofeam plane spoliabat terra, & totam terram Israeliticam populabatur. Antecessorum suorum felicibus successibus efferus Sanherib dein Iudaeam suscipiebat aequae sibi subiicere, ac sui antecessores Samariam subiecerant. Quamobrem licet dignas Deo poenas dederit, eius tamen successor Asarhaddon, dum novos in Israeliticam terram colonos collocat, eadem opera eodemque tempore per principes exercitus sui (qui hic *extensiones alarum* (*) eius vocantur) in Iudaeam progressos, Manassem regem (en quo modo *ad collum* pertigerit) in vepretis quibusdam latitantem, cepit, & chalybeis compedibus vinctum Babylonem deduxit 2 Chron. XXXIII. 11. conf. Iacobi Vsserii Annales V. T. ad annum mundi 3327. p. m. 108. Ad hunc igitur Assarhaddinum (qui & Asnaphar dicitur Esrae IV. 2. 10) quam maxime Iesaias hic videtur respexisse. Adiecta autem *Immanuelis* mentione, simul in spem erexit,

Indican-
do, quid
in ter-
ram Iu-
daicam
inde
transitu-
rum.

erexit, tum adstantes, tum exituros illo tempore, adhuc-
 dum seruandam esse terram suo Immanueli, illi virginis
 filio Cap. VII. 14 in signum constituto. Qui igitur quo-
 modo vel Iesaiæ, vel Prophetissæ filius, vel Achasi, pos-
 sit esse; & siue Iudæa terra eius vocetur, quod patria
 eius existat, siue quod ipsius dominio subfit, quid nomi-
 nis eius commemoratio h. l. vsus habeat, nullus Iudæo-
 rum vel Iudaizantium poterit indicare. Nostri autem
 Immanuelis (cuius alias tota terra est & omnis eius ple-
 nitudo Ps. XXIV. 1.) Iudæa dicitur peculiari ratione terra
 sua, h. l. pariter & Cap. XIV. 2. conf. Hoseæ IX. 3. Ioh. I.
 11. Matth. XXI. 38, tum quod nonnisi in ea nasci debebat,
 supra c. VII. 15, tum quod in ea ipsa officium suum prophe-
 ticum obiturus minister circumcisionis siue ipsorum ipse
 Apostolus Iudæorum, & non missus nisi ad oues perditas
 domus Israel, Rom XV. 8. Matth. XV. 24, tum quod non
 nisi in illa terra redemptionis opus sua morte consumma-
 turus erat, Lucae XIII. 33. Bene autem B. Calouius h. l.
 annotat: appellatur hic Immanuel, non vt nudus testis,
 aut otiosus malorum futurorum spectator, sed vt iudex
 & vindex terræ suæ, vt eam defendat. conf. Iud. VI. 12.
 13.

(*) Franciscus LEYTAM, Casteluidensis Lusitanus, So-
 cietatis Iesu, in opere *de Hebraeo conuictio*, quod Libris IV. prodiit
 Romæ 1693. 4to. L. II. Cap. II. §. 17. p. 56, hæc verba de Mes-
 sia accepisse videtur, scribens: „verba illa, *Et erit extensio ala-*
 „*rum eius*, i. e. potentiae eius, *implens plenitudinem terræ* soli
 „*Mesiae* competunt, iuxta illud: *dominabitur à mari usque ad*
 „*mare*, & *à flumine usque ad terminos orbis terrarum* Ps. LXXI.
 „*num. 8*, & *adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei*
 „*ib. num. 11.* „Sed manifestum est, *extensiones alarum eius* potentiam
 regis Assyrii indicare, neque posse dici de Messia. Nisi forte hoc
 voluerit auctor, quod Messiae potentia tam late extensa dicta sit
 hicce, quam late alae Assyrii se expandent.

§. XVIII.

§. XVIII.

Quae sequuntur, interpretes quidam ad postremo loco dictos hostes referunt, verba nimirum illa de Sennacheribo explicantes. Si vero omnia sollicitius expendamus, videntur ea potius ad omnes haecenus memoratos hostes pertinere, imo quam maxime ad Rezinem & Pekachum. Quum consociationis, & consiliorum decretorum mentio, & quod illa non statuta sint, nos reducant quasi manu ad respiciendum ea, quae dicta fuerant Cap. VII. 2. 5. 7: *Syrus ducit ad Ephraim; Syrus consultauit aduersus re malum, Ephraim & filius Remaliae; non stabilietur & non erit.* Conclusio igitur est in his verbis haecenus dictorum, & Partis primae orationis propheticae, omnem timorem à Rezine ac Pekacho incussum animis eximens, idque nunc hoc quasi epinicio & epiphonemate disertissime asserens, nimirum quod non tantum hostes ipsi perituri sint, sed etiam nihil prorsus effecturi contra Achasum, quippe dissociandi prorsus & confringendi, & frustra se armaturi, irrito penitus facto illorum consilio. Non tamen male interim verba haec prophetica simul referri possunt ad irritos omnino conatus omnium hostium tum gentis Iudaicae, tum totius verae ecclesiae, quod omni sua opera nihil tamen effecturi sint ad destruendum vel reprimendum Messiae spirituale regnum, neque ad eius progressus & dilatationem impedienda; ipsi potius confringendi & fide in Messiam suscepta cordibus ac animis suis contendi; vt Dan. II. 44. 45 docemur. Ita vero Iesaias pergit Cap. VIII. 9: *Consociamini (*) populi & confringimini, siue dissociamini imo vos ipsos confringite ac atterite, tanquam Simsonis vulpeculae: etiam audite omnes longinquitates terrae, qui loco & tempore longissime iam à nobis abestis (vel ex hoc patet, prima verba potissimum ad proximos tunc Rezinem & Pekachum spectare, simul tamen velle Prophetam haec etiam ab iis audienda esse qui sero & ex remotissimis terris futuri sint ecclesiae hostes.*

Quod
tuto sit
contem-
nendum.

G

Neque

Neque obstat, quod ad hos verba illa in spirituali sensu pertineant, ad priores vero potissimum in sensu literalī, & de corporali illorum exitio, & à Iudaea depulsione dicant: talis enim synecdoche siue syllepsis non infrequens est sacris scriptoribus vtriusque testamenti) *accingite siue armate vos & confringimini, accingite vos & confringimini. v. 10. Consultate consilium & dirumpatur; loquimini verbum, siue decernite decretum, conf. cap. VII. 5, & non stabiliatur: quia* *לֵא יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אִתָּנוּ. nobiscum Deus est.* Vbi obseruamus 1) Prophetam rationem sui epinicii, & tam confidentis illusionis omnium hostium in eo ponere, quod *nobiscum Deus est*, vtpotè aduersus quem omnis etiam potentissimorum conatus & omnis eorum vis & labor vanus est ac irritus; adeoque etiam non minus qui suscipitur aduersus illos, cum quibus Deus est. 2) Respicit manifeste ad datum signum Cap. VII. 14, eius iam vsum efficacissimum monstrans, quod ob promissum illum *Immanuelem* tam certo & infallibili signo fides ac fiducia omnium stabiliatur, vt non tantum de sua conseruatione possint esse certi, sed etiam tuto contemnere hostes, iisque illudere: quum alias non sit prudentis hostem quemcunque contemnere. Quid vero quaeso ex filio Iesaiæ, vel prophetissæ, vel Achasi posset efficaciam emergere ad confringendos & conterendos hostes, etiam longinquos, & ad dirumpenda eorum consilia? 3) Dum tamen verba *Immanu El* hoc loco non tanquam proprium nomen, sed tanquam vulgaria vocabula affert, declarat, Deum Cap. VII. 14 in dato illic signo partu virginis, illiusque nomine, non tam nudam filii illius agnominationem respexisse, quam rem nomine illo indigitatam, quia sit Deus & homo, Deus cum hominibus & inter homines homo. Vnde & 4) recte dicere poterat *nobiscum Deus est*, licet Cap. VII. 14 sqq. *Immanuel* tanquam sero nascendus promissus fuerat: idem quippe eo dicens, quod Apostolus Hebr. XIII. 8, Iesus Christus est heri & hodie idem & in secula. Hoc videlicet

licet

licet ait: est *nobiscum Deus*, tum tanquam Deus, vbi semper omnia implens, omnibus intime praesens, suis vero potissimum gratiosa & saluatrice praesentia adest; tum tanquam Deus noster & Deus homo & Deus nobiscum homo, vtpote ex nostra gente nascendus, & qua homo iam in lumbis maiorum suorum reuera nobiscum existens: vnde nulla vis, nulla confociatio, nullum consilium, nullus furor hostium nos opprimere potest, sed ipsi disrumpentur, confringentur & destruentur.

(*) Ita conuenientissime vocabulum *וְעִמָּנוּ* videtur exponi, vt sit imperatiuus à *וְעִמָּנוּ* confociare se. Vtpote quam interpretationem Chaldaeus etiam Paraphrastes & Raschi sunt amplexi, & quae optime consentit cum antecedentibus & cum apposito *וְעִמָּנוּ*, quod reuera dissociationem eamque violentam notat, qua totum in partes dissilit & frangitur, cum mutua destructione, & totius interitu.

§. XIX.

Iam ad SECUNDAM sermonis sui PARTEM progreditur Iesaias, vbi ex haecenus dictis tanquam corollare aliquod elicit, nimirum non igitur expetenda esse foedera exterarum potestatum. Id quod prolixè demonstrat 1) exhibita oratione ipsius Messiae de causis reiectionis plenariae Iudaeorum, nempe ipsa illa perpetua illorum negligentia verbi Dei, diffidentia & incredulitate, vbi Messias sistitur tanquam iudicium illud exerciturus, quo deligat bonum & reiiciat malum, quae oratio sistitur & ipsa integre v. 12 - 22 it. cap. IX. 1. 2. & quo modo à propheta fuerit excepta Cap. IX. 3 - 7. 2) Demonstrat illam foederum cum exteris inutilitatem ex validitate diuini verbi aduersus talium foederum cultores Ephraimitas, propediem manifeste conspicienda Cap. IX. 8 - 21 & X. 1 - 6. 3) Eandem inculcat praedictione cladis ipsi Iudaico regno ab Assyrio inferendae, inserto tamen vaticinio, deligendos bonos

consolante Cap. X. 7-34. Refert inquam Propheta nunc prolixam orationem ipsius Immanuelis, quem Iehouah appellat, ad se factam illum in finem. Vbi obseruandum nobis est. 1) Quod continuus vnus, capite VIII. 11 nominati Iehouae, sermo sit, inde, usque ad Cap. IX. 2, quia nullum adest vel minimum indicium, quod quisquam alius sermonem interrumpat, donec Cap. IX. 3. Propheta iam alloquitur manifeste illum, qui haecenus ad ipsum locutus fuerat. 2) Quod Immanuel in his loquatur, non vero Deus Pater, ipsa quae in hoc sermone occurrunt, irrefragabiliter euincunt. 3) Quod haec ipsa etiam Veterum Hebraeorum fuerit sententia, Deum Messiamque hic loqui indicio est, quia Paulus traditionum hebraearum callentissimus, in sua ad Hebraeos epistola Cap. II. 13 sine haesitatione versum 17. & 18 praesentis Capituli Iesaias alleget tanquam verba Messiae: quod certe non fecisset coram Hebraeis, nisi ei constitisset, nullum de hoc esse dissensum: saltem si à vulgari Iudaeorum explicatione recedentia protulisset, suae explicationis addidisset rationem, vt alias facit v. g. Gal. III. 16. sicut in ipsa ad Hebraeos epistola ideo tam prolixus est in explicationis suae de Melchisedeciano sacerdotio dilucidatione, quod eam nosset non aequae esse perspectam & receptam inter ipsos. Videamus igitur primo, quo modo Propheta diuinum illum Oratorem suo in sermone introducat, deinde Orationem Messiae ipsam. De priori ita Iesaias Cap. VIII. 11: *Certe vel ideo (*) sic dixit Iehouah ad me in apprehensione siue corroboratione (**)* manus, & castigauit me, ne irem in via populi istius ipsius, dicendo. Indicat & fatetur propheta, se etiam ipsum fere in eam descendisse sententiam, quum Syrus & Ephraim confoederationem inierint, annon etiam alia confoederatione Achas & Iuda debeant eis se opponere. Non enim respuit penitus fiducia diuini auxilii usum mediorum ac subsidiarum humanorum. Puto autem eum per populum istum, hic non secus ac v. 6, non alium intel-

Oratio-
nis Mes-
siae in-
suatio.

intel-

intelligere quam Samaritanum vel Israëliticum decem tribuum. Ait autem se diuinitus ab illa sententia, quasi manu apprehensa, retractum, & castigatum esse, quod illa via Deo non placeret.

(*) Particula ¶ etiam hic asseueratiua magis esse videtur quam causalis. Manifeste enim non rationem antea dictorum affert in sequentibus, sed nouum quid orditur, siue potius ex praecedentibus colligit ac infert. Poterit igitur etiam ratiocinativus esse significatus hoc loco huius particulae & illatiuus; qui et alias ei non infrequens est, vt Exod. III. 12: *ideo* ero tecum. 2 Sam. XVII. 11: *ideo* consulam.

(**) Quidam interpretes *manum Dei* statuunt esse spiritum prophetiae, vt Ezech. I. 3. Cap. III. 14. 22. &c. Hic tamen non expresse dictum est *manus Dei*. Potest tamen etiam reddi in *robore manus* siue in robusta manu: quo pacto vtique non nisi de Dei manu intelligi posset. Notat etiam ¶ corroboratiorem 2 Chron. XII. 1. XXVI. 16. Dan. XI. 2.

§. XX.

In ipsa Messiae Oratione Cap. VIII. 12 primo exhibetur propositio: *non dicetis confoederationem ad omne quod populus iste dicit confoederationem. Ne cogitetis vel loquamini de incundo foedere, quod cum Assyrio pangere meditati mini, quicquid etiam populus ille Ephraimiticus ogganniet & iactabit de sua confoederatione. Additur statim primum dehortationis huius argumentum ab irrito & vano timore Ephraimitarum non imitando: atqui timore vel meticulositate illius populi non timebitis, & non timorem incutietis vel non terreatis. Argumentum alterum est, quod Deus iam eo ipso debeat sanctificari, quod scilicet non in humanis auxiliis, sed in solo Deo confidant, nec ab hominibus timeant, sed solum Deum reuereantur. (*) v. 13: *Iehouam Zebaoth hunc sanctificate.* Additur tertium argumentum, promissio potentis praesentiae Dei: *atque hic est timor**

Orationis propositio & propositi-
onis ar-
gumenta
tria pri-
ora.]

vester, & hic est formido vestra. Vbi forte non inutile erit animaduvertere, non prorsus synonymia hic videri, tum quod v. 12 dictum erat, ne timeatis & ne terreatis: tum quod v. 13 dicitur, Dominus est timor vester & formido vestra. Sed vti prius vocabulum vtrinque timorem passivum innuit, quo Iudaei non affici & concuti debebant; ita posterius vtrinque timorem actiuum innuere existimo. Vti enim illic est Hiphil ab פָּרַח quod naturali suo significatu erit timorem incutere: ita hic Deus dicitur פָּרַח quod est participium Hiphil. Sicut igitur in priore prohibentur Iudaei timere homines, imprimis Syros & Ephraitas, simul etiam vetantur ipsi timorem incutere hominibus, imprimis Syris illis ac Ephraitis, nimirum per susceptam cum Rege Assyriae confoederationem: ita in posteriori praedicatur illis solus Iehouah esse timor eorum, quem solum debeant reuereri (quum si hunc habeant beneuolum, nec irreuerentia aliqua à se alienent, nullus hominum possit ipsis quodpiam inferre damnum, vel quidcunque metuendum) & esse etiam illum, qui alios faciat timere ab ipsis Iudaeis, & terrorem incutiat aliis, ne ausint Iudaeos adoriri. Caeterum Iehouah ille, quem Messias Iehouah praedicat sanctificandum, prima (***) est in ipsa sacrosancta Deitate persona, non tamen exclusis reliquis sacrosanctae Trinitatis personis: ipseque adeo Messias ille Immanuel etiam in eo ipso sanctificandus, vt fiducia eius, praesentis inter ipsos, non timeant hostes & irritos fore eorum conatus confidant, quod certi sint se Deum illum Messiam habere sibi praesentem, signum infallibile, quod nihil ipsis ab hostibus sit metuendum, si eum inuocent.

(*) Non vult enim Deus vt homines quemquam timeant nisi ipsum solum, Deuter. VI. 13. X. 20. Et in hoc ipso Dei timore consistit eius sanctificatio, vnde vtrumque coniungitur Es. XXIX. 23. Infert enim timor Dei circumspexam & curatissimam verbi eius obseruationem, ne vel minimum illius aliter praestes, quam Deus

Deus praecepit, nec vlllo hominis cuiuscunque timore, neque vlla diffidentia, te sinas ab illa obseruatione vel in minimo deturbare. Et hoc ipsum est sanctificare Deum, hoc est, sanctitatem eius non tantum sermone, sed & opere praedicare: vt patet, si conferas Num. XX. 12. Deutr. XXXII. 51.

(**) Forte Iehouah Zebaoth tertiam potius sacrosanctae trinitatis personam hic indicabit. Quod tamen prolixiori declarandum esset disquisitione. Certe paulo post v. 18 manifeste fere videtur tertia persona isto nomine indicari.

§. XXI.

Postquam Messias Immanuel & Iehouah sic dehortatus fuerat à confoederatione quam Iudaei meditabantur, grauem iam adiungit querelam de irreuerentia totius populi Israëlitici erga Deum suum, vnde tandem etiam euenturum fit, vt Deus prorsus ab ipsis sit recessurus, ea praesentia, qua haëtenus populo illi adfuerat, immediate cum iis suum verbum communicando, legem suam & testimonium iis coram quasi eloquendo: quum lex & testimonium claudenda sint, nec amplius immediatum cum Deo commercium superfuturum, adeoque etiam, iuxta Iacobi patriarchae vaticinium, legislator de medio pedum Iuda remouendus. Querela Messiae exhibetur Cap VIII. 14. 15. Ita insit: *Atque existit ille Iehouah Zebaoth in sanctuarium omnibus quidem ex sua gratiosa voluntate: euentu autem illis ipsum sanctificantibus tantum, quos deliget. Ast est in lapidem allisionis & in rupem offensionis duabus domibus Israël, in laqueum & in tendiculam habitatori Hierosotymae. v. 15: & offendent in eis multi, & cadent, & conterentur, & illaqueabuntur, & capientur.* Tale nempe est iudicium reprobantis malum. Et certe de ipso Messia (*) nostri interpretes consensu quodam id capiunt: qui tamen quum ipse hic loquatur, non possunt illa commode accipi, ac si de se ipso illa tantum diceret. Licet enim Simeon, Lucae II. 34 & Petrus, 1. epistolae II. 8 talia etiam de Salvatore nostro dicant: non tamen ideo asse-

Argu-
mentum
quartum
ingruens
iudicium
deligentis
bonum &
reiicien-
tis ma-
lum.

Vbi

iudici-
um il-
lad in-
dicatur

verari

verari potest, quod id solum in praesenti nostro loco praedictum innuant. Paulus vero Rom. IX. v. 33 manifeste locum Ies. XXVIII. 16 allegat. Quando autem Messias h. l. de Iehouah Zebaoth dicit יהוה, id quidem tempus futurum quam maxime respicit: non tamen genio linguae aduersum est, ita constructum verbum, praesertim de Deo adhibitum, perpetuitatem existentiae indicare. Atque certe semper fuit, est, ac erit Deus in sanctuarium: semper autem fere, proh pudor! extitit domui Israel & Iuda in lapidem offensionis, de quo innumerae eius prostant querelae. Certissimum tamen est, haec quam maxime respicere tempus noui Testamenti, & tempus imprimis, quo ipse Messias in terris compariturus, & euangelium tum ipse tum per suos discipulos praedicaturus erat. Tunc enim Dominus consummatissime extitit in sanctuarium, in quod vnicus & verus ille sacerdos summus, Messias, suomet sanguine ingrediebatur Hebr. IX. 12. (**)

Atque tunc quam maxime vtraque domus Israel allisa est (***) ad Deum suum tanquam rupem offensionis, tum quicquid decem tribuum in cunctis terrarum orbis dispersum erat partibus, tum etiam populus Iuda; adeo, vt (quia Messias eius non erat ex ipsorum voto, qui mundano splendore terrenum regnum institueret) aduersus Deum rebellarent, ad nuptias ab eo paratas venire recusarent, filium eius aliquem esse, eumque adeo patrem esse, negare susceperint, spiritus sancti Deitatem prorsus oblitissent, verbi diuini sensum vbique distorqueant & peruertere laborent, neque amplius verum Israëlis Deum noscant & agnoscant, sed quem sibi ipsis fingunt, secus ac se in scripturis reuelauit. Caeterum quod AbenEsra hic *sanctuarium* idem significare docet ac asylum, id non male monet. Eo ipso enim dum sanctuarium Deus est, in quo & sanctificat & sanctificatur, est etiam asylum, sicut & templum olim atque ara asylum erat, tutissimos praestans omnes ad ipsum confugientes ab omnibus hostibus

stibus

stibus & calamitatibus, conf. Ezech. XII. 16, item Ies. XXV. 4. Cap. IV. 5. 6. Utinam & AbenEsra & reliqui Iudaei hoc asylo gaudere non detrectassent. Quod v. 15 additur, id quidem plurimi capiunt etiam de Iudaeis, quod ipsi offendent, cadent &c. atque tum מִן exponendum erit *inter eos*: non enim omnes ex duabus domibus Israel dici possent offensuri & perituri, sed plurimi ex iis. Quum tamen idem iam satis v. 14 videatur dictum fuisse, neque scriptura tautologias amet: existimo his verbis potius effectum indicari offensionis Iudaicae, nempe illum, quod & extra hunc populum Iudaicum multi *in ipsis* Iudaeis scandalizentur. (****) Certe enim Iudaeorum perpetua oblatratio & prauum exemplum multos à vera fide auertit, imprimis in initio plantandae noui Testamenti ecclesiae. conf. Rom II. 24. 1. Theff II. 15. 16.

(*) Ipsi Iudaei de tempore Messiae ista acceperunt. Ita in Gemara Sanhedrim Cap. IV. §. VIII. dicuntur filii Rabbi Chaiae in conuiuio Rabbi Iehudae sancti ex h. l. adseruisse: non veniet filius David (Messias) priusquam defecerint duae profapiae ex Israele, nempe stirps capitum dispersionis Babylonicae, & Principum in terra Israelis: quia dictum, erit in sanctificationem, & in lapidem allisionis & rupem offensionis duabus familiis Israelis.

(**) conf. Ies. XXIX. 23, videtur etiam hoc מִקְדָּשׁ respicere illud, quod versu praecedente dictum fuerat תִּקְדָּשׁ , licet enim sanctus Israelis nunquam non sanctus sit, nisi tamen ab hominibus sanctificetur, ipsis sanctuarium non est, sed potius profanatur ab iis. Quod si sanctificetur, ipse est qui eos sanctificat. Lev. XXII. 32. XX. 26. 1. Cor. I. 30.

(***) Non tamen necesse est, vt *utramque domum* eodem tempore putemus in Deo suo sanctuario habuisse lapidem scandali & lapsus, siue occasionem errorum & interitus sui (hoc enim est בְּנֵי & מִשְׁכָּן conf. Rom. XI. 11.) sed domus Ephraimitica offendit, dum spreuit domum Davidis, aquas illas Siloae: supra v. 6. & lapsa est, quum Salmanasser eam destrueret. Domus

H

Iu-

Iudae offendit, dum ipsum Messiam in carne praesentem respuit; & lapsa est, quum per Vespasianos exciunderetur. Vbi *ciuium Hierosolymitanorum*, synedrii nempe ac sacerdotum cum primis, ingens fuit praerogativa: vnde illis quam maxime Christus in laqueum & decipulam fuit. De quo confertur meretur Vittinga in commentario ad h. l. p. 221. editionis Leowardiensis.

(****) Dicuntur horum alii scandalo profus perire; alii autem grauissimis & intricatissimis erroribus constringi. De illis dicitur *לשׁל* quod est impingere ad lapsum usque, vt tamen resurgere adhuc possis, Hoseae XIV. 2. Prou. XXIV. 16, *לפלי* quod est deficere 1. Sam. XXIX. 3. decidere, vt folia de arbore, in eam non reuersura. *לפשי* quod est penitus comminui & disruptum perire Ier. XXII. 20. Ezech. XXX. 8. conf. Luc. XX. 18. De his dicitur *לנשׁק* aut illaqueabuntur, quod est ad auium instar tendiculis aucupis inuolui, nempe praecindiciis, praua doctrina, erroribus ita constringi animo, vt solutionem inuenire nequeas. *לכרי* & capientur, quod est in potestatem quasi aucupis transire, vt proprio iudicio non amplius uti queas, & à seductoris pendeas ore & arbitrio.

§. XXII.

Haec praeuidens atque considerans Messias iusto zelo & indignatione quasi concitatus erumpit Cap. VIII. 16: *Colliga testimonium, obsigna legem in discipulis meis.* COLLIGARE est aliquid, quod ante solutum & nullis certis finibus circumscriptum erat, in vnum quasi fascem ita connectere, vt cuius pateat, non velle colligantem quidpiam horum dein quaeri alibi, quam in isto fasce; neque velle quid amplius ad isthaec pertinere, neque à quopiam adici. conf. 1. Regg. V. 23. XII. 12. Deutr. XIV. 25. 1. Sam. XXV. 29. Iobi XXVI. 8. Ita & OBSIGNATIONIS vsus quidem multiplex est, maxime tamen proprius, cum literis, testamento, vel tabulis ac instrumentis publicis apprimitur figillum, non tantum ad fidem faciendam, esse illa eius cuius additum est figillum, sed etiam ad monstrandum, quod nihil iam addendum sit amplius vel demendum. conf. Estherae VIII. 8. 1. Reg. XXI. 8. Deutr. XXXII. 34. Per *testimonium* autem

Expli-
catus
idem
iudici-
um
pandi-
tur.
1) Petita
subtra-
ctione
doni
prophe-
tiae.
Vbi vi-
deatur:
1) quid
petat?

autem

autem & legem nihil aliud intelligi, quam verbum Dei re-
 velatum, extra controuersiam est (*): & quum vocabula
 ista legantur hic simpliciter posita sine restrictione, imo
 etiam sine articulo, non possumus non hic omne Dei ver-
 bum reuelatum, quod nempe in perpetuum testimonium
 de Deo, & in perpetuum ad omnes pertinentem legem
 datum est, hic intelligere: non vero certam saltem quan-
 dam particulam eius, vel praesentem solummodo Iesaiac
 orationem, ceu nonnullis placuit interpretibus. Praevi-
 dens nempe Messias extremam sui populi corruptionem
 tempore sui in carnem aduentus, & perspiciens, quam pe-
 riculosum futurum sit relinquere illis beneficium immedia-
 tarum Dei reuelationum, (quod tanquam praerogatiuam
 prae omnibus gentibus habebant, sicut Ps CXLVII. 19.
 20 dicitur: sic nulli facit gentium) quum semper contra
 viros, vere à Spiritu Dei latos, ex illo populo sui recturi es-
 sent, qui etiam se iactarent Spiritu sancto ferri, ceu tem-
 pore Achabi fiebat, eoque turbaturi quoscunque siue ex
 Israele siue ex gentibus ad Messiam conuertendos: haec
 inquam praevidens Messias, huiusque mali remedium dispi-
 ciens, postulat testimonii & legis, siue canonis verbi re-
 velari, consummationem, colligationem & obsignationem.
 Quum tamen probe perspiciat, necessum fore, vt adhuc
 tempore sui aduentus per talem immediatam reuelationis
 gratiam aliqua consignentur, & testimonium de se, & le-
 gem siue voluntatem diuinam pandentia, quae monstrent
 eorum impletionem factam tunc esse, quae ab origine
 mundi praedicta fuerant, & legis finem declarent; non
 vult vt statim fiat illa colligatio & obsignatio, sed *in disci-
 pulis meis*, inquit, id est illis, qui ipsum in terris prae-
 sentem visuri ac audituri sint, ideoque ea quae viderint &
 audierint atque palparint, & quae ipse eis dixerit, omnes
 docere & in omnium instructionem consignare debeant.
 conf. Matth XXVIII v. vlt. Act I. 8. X. 41. Ioh XV. 27.
 Rom XV. 18. 1 Cor. XV. 3. 4. 8. XI. 23. Gal I. 1. 11. 12. 17.
 Ioh. I. 1. 3. 4. A quo autem Messias istud postulet vt

H 2

testi-

testimonium colligetur & lex obsignetur, id fere dubium reddunt interpretes, qui eum plerique fere ad prophetam haec dicere statuunt. Id vero nullo modo locum potest habere. Quodsi ista unicuique fidelium dici, mandari, vel promitti iustas, id quidem facilius admitti poterit, neque inuito linguae sanctae genio. (***) ut nempe hoc diceret Messias h. l: ligatum habebis testimonium & obsignatam legem. Non tamen video quid obstet, quo minus agnoscamus Messiam hic ipsum Iehouam patrem alloqui, & ab eo hoc petere. Nam vel ideo statim addit, se adspectare & expectare Iehouam, ut pateat, à quo illam colligationem & obsignationem postulet atque expectet. Atque ita vero tali obsignatione legis ac testimonii plene remotus cernitur legislator à medio pedum Iuda. Et comprobat hanc nostram interpretationem Daniel, diserte praedicens tempore Messiae obsignandam esse visionem & prophetiam Cap IX. 24.

(*) Per *testimonium* fere conueniunt interpretes significari euangelium, quod illud testetur de Christo, tanquam Dei filio & filio Mariae Ioh. V. 39. Act. X. 43 l. 8. Apoc. I. 2.

(**) Saepe enim imperatiuus promittendi vim habet, v. g. Gen XX. 7: orabit pro te, & viue i. e. & viues. Ps. XXXVII. 27: & habita in seculum i. e. habitabis. Prov. III. 4. Et inueni gratiam coram Domino, i. e. inuenies.

§. XXIII.

a) *Quis
petitionis
usus.*

Pergit igitur supremus Orator in tristi sua querela causam subnectere postulatae colligationis ac obsignationis legis ac testimonii: quia nempe velit suo exemplo omnes suos certa & indubia fidei regula & norma tendere ad Deum, vti videlicet ipse Iehouam saltem respiciat, & in eo eiusque promissis dictisque confidat & confidere doceat omnes, à quo etiam expectet prolem, licet populus suus existat refractarius, qui igitur Domini immediato commercio

cio

cio sit priuandus. Ita vero inquit Cap. VIII. 17: *Atque ego exspe-*
cto a Iehouah, abscondentem faciem suam a domo Iacob, atque prae-
stolabor, siue recta tendam () in eum.* Ex intimo dolore
 haec proferre cernitur, & adhuc magis patebit, si conferas
 quod dicit Iesaiiae XLIX. 4: & ego dixi, incassum labo-
 raui, in inane & vanitatem robur meum consumsi; reuera
 iudicium meum est cum Domino, & operatio mea cum
 Deo meo. Inde igitur dicit se Deum spectare, licet is a
 domo Iacob faciem auerterit, qui tamen per verbi sui, ob-
 signati & colligati, plenoque testimonio ornati, efficaciam
 daturus sit sibi filios, verum Israel & verum semen, id
 quod est ex promissione ac euangelio, ideoque ex promif-
 sionum expectatione ac fiducia. Inde addit v. 18: *ecce ego*
praestolor nempe, siue recta tendo in eum, & gnati quos
dedit mihi Iehouah in signa & in prodigia inter Israel; idque,
 inquam, sumus a communioue Iehouah Zebaoth habitantis &
 quasi tabernaculum facientis in monte Zion. Docet eo
 1) licet a domo Iacob Deus faciem auerterit, se tamen &
 filios suos in Dominum iuxta verbi normam tendere, & ab
 ipsis non auertere faciem suam patrem, licet & ipsi sint
 ex domo Iacob. 2) Licet Dominus a domo Iacob faciem
 auerterit, dedisse tamen sibi adhuc aliquos filios ex ipsa
 domo Iacob: quibus videtur eosdem indicare, quos versu
 16 discipulos suos vocauerat, in quibus debeat ligari ipsum
 testimonium & lex obsignari, illa regula & linea, secun-
 dum quam ipsi in Iehouah confidunt. Licet non exclu-
 dat etiam reliquos e Iudaeis ad se conuertendos, vt qui,
 praeter illos suos discipulos & scriptores sacros, etiam
 secum sint in Deum confisuri. conf. Ioh. VI. 37. 45. 65.
 XVII. 9, quibus omnibus tanquam e stirpe sibi pecu-
 liarius dilecta oriundis, & sanguine sibi propius iunctis,
 insigniter gaudet & quasi gloriatur, quod non plane in
 vanum laborauerit respectu stirpis suae: vnde etiam pe-
 culiarem illorum curam habebat, nequis perderetur & pre-
 cibus suis apud Patrem Ioh. XVII. 12 sqq, & potenti iussu

Certitu-
do fidei
suorum
eligendo-
rum.

H 3

apud

apud hostes Ioh. XVIII 9. Docet 3) se & illos sibi à Patre datos gnatos esse *in signa & in prodigia* in Israële, (*) scilicet tum quae respicere debeant & eos ad imitandum sibi proponere, vt & ipsi reliqui Israëlitae sic in Deo confidant, vtpote in quibus habeant portentum sat illustre, quam potenter saluet Deus in se credentes, (sicut Dauid Pf. LXXXVI. 17 orat: fac mecum signum in bonum, vt videant qui me oderunt, & pudefiant, quod tu me iuues Domine & confoles me) tum quae fidem eorum sustentent ac firment, sicut Zacharias Propheta Cap. III. 8 dicit Iesuam sacerdotem, & eos qui cum ipso erant, esse viros portenti; tum quae plurimi eorum horreant & abominentur, tanquam signa & portenta ipsis inuisa & exosa: sicut Dauid Pf. LXXI. 7 dicit: sum coram multis velut portentum. Ita Iesaias Cap. XX. 3: nudus & discalceatus incedens signum & portentum esse debebat super Aegyptum & Cuschitas. Et profecto Saluator noster erat non tantum signum illud hominibus toties ab origine mundi promissum, & nunc etiam Achafo propositum, tanquam prodigiosus virginis partus, signum aeternum & nunquam eradicandum, vt Ies. LV. 13 dicitur, sed etiam signum cui contradicebatur, sicut à Simeone dicitur Lucae II. 34, signum tanquam antitypus Ionae in sua resurrectione Ioh. II 19. Matth. XII. 39. 40; erat signum tanquam crucifixus, sicut olim serpens aeneus, Ioh. III. 14, Iudaeis scandalum Graecis stultitia, licet ex se Dei virtus & Dei sapientia 1 Cor. I. 23. 24. Et sic etiam Apostoli ac discipuli Christi signa & portenta fuerunt & infidelibus & fidelibus, tum quatenus signis & prodigiis stabiliebant suam doctrinam ex gratia iis data Marci XVI 17. sqq Ebr. II. 4. Rom. XV. 19. 1 Cor. XIV. 22, tum quatenus ipsi tanquam homines egeni, contenti, omnibus persecutionibus & calamitatibus expositi tanta praestabant, vnde spectaculum erant mundo & angelis & hominibus, & tanquam purgamenta mundi ac abominatio omnium. 1 Cor. IV. 9-13, quam

quam

quam maxime autem hoc erant *in Israele*, tum illo secundum carnem, ex quo soli erant segregati, eoque ipso signum ac prodigium, quod tam pauci à tota suorum multitudine discreparent, conf. 1 Petri IV. 4. Act. XXVIII. 22, tum in Israele spirituali ex gentibus colligendo. conf. Es. LXVI. 19. Michae V. 3. Docet denique 4) quod ipse & gnati sui sint istud à *communione Iehouae Zebaoth habitantis in monte Zion*. Sicut Moses à *communione Dei in monte Horeb* splendidam accipiebat faciei cutem, vt signum quasi & prodigium existeret; ita se & gnatos suos dicit signum & prodigium fore à *communione Dei habitantis iam in monte Zion*. Nihil quidem obstare videtur, quin hic *Iehouah Zebaoth* sit idem *Iehouah* quem Messias dixerat dedisse sibi gnatos istos: non enim dicit eum hos sibi dedisse à *Iehouah Zebaoth*, sed, postquam dixerat illum sibi gnatos dedisse, nunc dicit etiam aliud, nempe se & istos sibi datos esse in signa & prodigia à *communione Iehouae Zebaoth*. Si tamen oeconomiam horum mysteriorum accuratius expendamus, videtur ipse *Iehova Zebaoth* quam maxime tertiam sacrosanctae Trinitatis personam, nempe Spiritum Sanctum, notare. Sicut enim *mons Zion* in sacris litteris ordinarie fere notat familiam *Dauidis*, & inde eius antitypum ecclesiam veram, tanquam regiam sedem Messiae: ita huius ecclesiae, tanquam tabernaculi Dei inter homines, exaedificatio per vocationem, regenerationem, & sanctificationem, Spiritui Sancto solet in scriptura appropriari. Vnde & ministerium ecclesiasticum dicitur ministerium Spiritus: & in hoc monte imprimis habitare igitur se demonstrat Spiritus Sanctus suis dotibus ministrantibus & sanctificantibus. Posset hic pluribus agi de eo, quod ipsi Iudaei tradunt de *Schechina*, (***) sed nunc saltem id iuuabit annotasse, quo modo & Messias & illi gnati eius quos indicauerat, ex *communione Spiritus Sancti*, in monte *Zion* tabernaculum struentis, in signa sint & in
prodi-

tam regulam, diuini nempe verbi, institutam. Quare diuinum illud verbum etiam velit factum, tectum, incorruptum, certum ac firmum seruari, neque incertitudine falsarum prophetiarum (quales posthac à populo tam corrupto tanto plures metuendae & exspectandae sint) dubium reddendum. Ita enim etiam Saluator noster saepius professus est, se ad certam normam voluntatis patris sui facere ac dicere omnia. videatur Ioh. VIII. 28. V. 19. 30. XII. 49. 50, & passim aduersus diabolum, Sadducaeos & Pharisaeos ad iudicium scripturae prouocauit & disputauit Matth. IV. 4. 7. XXII. 29. 42. XIX. 4. Et sic etiam noluit suos in se credere, nisi secundum id quod scriptura dicit Ioh. VII. 38, & neminem ultra quam scriptum est sapere debere Paulus inculcat I Cor. IV. 6.

(**) Ita enim, si accentus imprimis in ebraeo consulas, non tam dicentur gnati illi dati esse Messiae in signa, sed ipse & gnati sui esse in signa & prodigia, & esse hoc à communione Iehouae Zebaoth, habitantis in monte Zion.

(***) De Schechina eruditissimis programmatibus pentecostalibus quibusdam commentatus est B. D. Ioan. Andr. Dantzius, quae, si placuerit, vtiliter conferentur. Conducent etiam, quae habet Iac. Wellerus in Annotationibus in Epistolam ad Romanos ad C. VIII. 11. p. 465. sqq.

§. XXIV.

Pergit iam Messias in querela sua de irreuerentia sui populi erga Deum: causam, vti patet, disertius indicans colligandi & obsignandi testimonii & legis, & cur secundum hanc regulam in Deo confidentes signa & prodigia futuri sint; quia nempe illi refractarii ad immediatas reuelationes speciose adducturi sint. Ita vero dicit Cap. VIII. 19; *Et quidem obsignanda est lex, & illam solam tanquam regulam sequentes futuri sunt instar prodigii, quia dicent Israel ille secundum carnem v. 18, vel domus Iacob à qua Dominus faciem auertit v. 17, vel duae domus Israël & habitator Hierosolymorum v. 14 (*) ad vos, quaerite siue sciscitami apud pythones & apud sciolos, mussitantes siue pipientes & meditabundos siue meditari facientes: annon populus*

Certitudo aduersus renitentiam maiorum reiicientium.

populus apud Deum suum quaerat vel sciscitetur? post viuos, vel relictis viuis, aut pro viuis apud mortuo? v. 20: apud legem & testimonium: nisi dicent secundum verbum hoc cui non est aurora. Ita enim Messias in his refert tum verba refractoriorum Iudaeorum, tum illorum confutationem, vbi notamus 1) quando ait dicturos: quaerite apud pythonas & sciolos &c. referre Messiam, more in sacris consueto, (***) non tam ipsa eorum verba, quae ipsi locuturi sint, sed quae ratione finis & euentus verborum, quibus vsuri sint, re ipsa poscant, nempe quod omnia eo sint collineatura, vt perinde sit, ac si ad pythones & sciolos ablegent, licet immediatas saltem à Deo petendas & suscipiendas commendent reuelationes. Postquam enim lex colligata & obsignata est, reuera, quisquis adhuc extra illam legem ad aliud aliquod verbum diuinum ducit, nihil aliud facit, quam si ad pythonas & fatidicos ableget, quos tamen consulere Deus tam seuerè prohibuit Lev. XIX 31. XX. 6. 27. Deutr. XVIII 11 declaratque hoc ipso Messias omnes, qui post canonem clausum immediatam in diuina doctrina, & eius interpretatione, reuelationem iactaturi sint, pro falsis prophetis, non secus ac pythonas & fatidicos, habendos esse. conf. Ies. XXIX. v. 4. Faciunt autem hoc Iudaei reuera, dum hodiernum verbum aliquod diuinum celebrant praeter scriptum, nempe per traditionem ad ipsos propagatum, quod ipse Deus Mosi dederit in monte, & scribi noluerit, et quod ad ipsos orali traditione sit conseruatum, denique à Rabbi Iehuda sancto in Talmude consignatum; quod non solum verbo scripto aequiparant, sed etiam illi multis modis praefereunt. (***) Ita nempe astute à lege scripta obsignata & colligata, ad mullitates & multiscias, vt volunt, profundisque meditationibus scilicet plenas, verbi non scripti, ablegare satagunt, imo ad doctorum suorum placita. Notamus 2) quae sequuntur: *Annon populus apud Deum suum sciscitetur? post viuos apud mortuos? verba esse, non pythouibus opponenda, sed ipso-*

ipso-

ipforum pythorum & diuinorum, ita nempe musitantium & meditari facientium, siue, vt scite Varenius ad hunc locum p. m. 182, qui faciunt discipulos suos & auditores *phantastas*. Duriusculum enim est & insolitum, ellipsin statuere verbi *dicite* vel *respondete*. Ast per mimelin verba eorum, qui loquentes introducti fuerunt, referri, sine addito, *dicunt* vel *dicentium*, satis frequens est. (*) Videmus autem iam antiquitus praedictam esse calumniam plurimum aduersus scripturam sacram, qua tanquam litera mortua traducitur, & ad immediata cum Deo colloquia ambienda homines inuitantur, vel vt ad scrinium pectoris doctorum & sapientum, tanquam diuinum & viuum thesaurum, discedant à litera legis & testimonii, vtpote quae sint instar mortuorum. Ita si verba illa capiamus, facile erit intelligere 3) verba quae sequuntur, quae tantopere defatigarunt interpretes. Quae ita interpretamur: *apud legem & apud testimonium* quaerant & sciscitentur omnes: (***) *nisi dixerint* vel loquentur *secundum verbum hoc* pythorum vanum & inane, *cui non est aurora*. Messiae enim sunt, adstringentis suos ad verbi obsignati normam, & aduersus obiectiones contentorum eius munitis, quasi epiphonema de verbis illis pythorum & diuinorum. Dicit nullam fore auroram, neque primam lucem gratiae Dei vlli homini affulsuram esse vilo alio verbo, nisi ex illo colligato & obsignato per discipulos suos verbo legis & testimonii. Haec interpretatio verbis hebraei textus quam maxime congruit, nec vlla vel enallage, vel vocabulorum ebraeorum insolita significatio hic admittitur, vt in aliis interpretationibus id deprehendimus: & plene concinit dictum Petrinum 2^o ep. l. 19.

(*) De Phariseis & Sadduceis tempore Christi haec praedicti agnoscit etiam Lucas Oblander h. l. Eandem fere iam olim Nazarenorum fuisse sententiam, qui nempe de Phariseis haec

plenissime sint interpretati, ex Hieronymo obseruet & laudat Vitringa h. l.

(**) Ita enim solet Spiritus Sanctus, quando impiorum sermones refert, non ea proferre in facie illa speciosa, qua suos errores induunt, sed quasi denudatos omni fuce sistere, ut eorum abominabilitas statim pateat: non scilicet quid prae se ferant, sed quo ducant & quo collineent indicando. v. g. quando Prov. I. 11. memorat dicentes: *Veni nobiscum, insidiabimur sanguini, abdemus nos innocenti gratis*; non id vult, quod haec ipsa verba proferant, quae statim ipsa fronte sua alienatura essent audientes, sed quod, quae proferant impii, eo collineent, uti v. 16 declaratur. Sic Ier. XVIII. 18 memorantur dicentes: *Venite occidamus Ieremiam lingua. Ies. XXVIII. 15* introducuntur dicentes: *Cum morte foedus, cum inferno pactum iniuimus, mendacium fecimus refugium nostrum & hypocrisin asylum &c.* Atque pari modo h. l. non id dicitur, quod disertis verbis Iudaei ad pythones sint ablegaturi, quos satis norant in lege prohibitos, sed ea quae optima cum specie contra verbum scriptum prolaturum sint, sistuntur nuda, tanquam idem dicentia, ac si reuera pythonas & diuinatores consulere suaderent. conf. Glassi Rhetorica sacra p. m. 548. sq. it. Brentii comment. in Ies. XLIV, p. m. 360.

(***) Loca Iudaeorum id asserentia complura annotauit Buxtorfius, in initio Recensionis operis Talmudici, quae cum eius libro de Abbreuiaturis Hebraicis prodiit, p. m. 238. sqq. v. g. Rabbi Isaaci Corbelensis: *Ne existimes, quod fundamentum sit lex scripta, quin potius fundamentum est illa, quae ore tradita, nam propter legem oralem initum est foedus &c.* In ipso codice iuris Baba Metzia: *qui operam dant lectioni biblicae, virtus aliqua est, aut potius nulla virtus; Mischnae autem seu traditioni, virtus est, propter quam accipitur praemium; Gemarae, virtus est, qua nulla praestantior.* Sic Rabbi Eleasar dixisse memoratur: *Auertite liberos vestros a studio biblico, & collocare eos inter genna sapientum.* Et in codice Chagiga Raf dixit:

dixit: quando egreditur homo ex constitutionibus Talmudicis, deinceps nulla est ipsi pax. Vbi Glossa addit: quando egreditur homo ex doctrina talmudica ad doctrinam biblicam, tunc amplius nulla ipsi pax est &c. Tritam in Rabinorum scriptis sententiam p. 242 refert: *Fili mi, attende ad verba scribarum magis quam ad verba legis.* Et in libro Haskuni in notis ex Baal Hatturim collectis legitur: *Qui dissentit à Doctore suo, perinde est, ac si dissentiret ab ipsa diuina maiestate; qui autem credit verbis sapientum, est ac si crederet ipsi Deo.* Ita annotauit Eisenmengerus in *Entdeckten Judenthumb* P. I. Cap. VIII. p. 298 ex praefatione libri Menorath Hammaor, vbi exponantur verba Deutr. VIII. 3: *Non viuet ex pane, significat biblia, quod dicitur, viuet de omni quod egreditur ex ore Iehouae, significat Halachoth & Aggadoth, responsa & aenigmata sapientum, hoc est, meditationes multisciorum & musitationes pythorum.* Plura dabit idem Eisenmengerus P. IV. Cap. I. p. 96. & Cap. VIII. toto, praesertim p. 302. 330 sqq. Item Lightfoot in horis ad Matth. XV.

(*) Ellipsis illa vocis *dicunt, dicentes, dicens* &c. satis frequens est. Sic Ies. III. 6. apprehendet vir fratrem, (*dicens*) vestes habes &c. Cap. V. 9: in auribus meis Iehouah Zebaoth *dixit* &c. XXVIII. 10: certe *dicunt* praeceptum supra praeceptum &c. Sic Ierem. XLIX. 4. De Rabba ciuitate refertur: quae suis nititur thesauris (*dicens*) quis contra me veniet. Ezech. XXX. 2: eiulate (*dicentes*) vae diei. Gen. XXVI. 7: metuit dicere vxorem suam (*dicens*) ne occidant me viri loci propter Rebeccam.

(**) B. Ioan. Bened. Carpzouius in Euangelii Iesaiiae P. IV. p. 77. sqq. quum verba haec v. 20, vt & illa v. 19 (annon populus Deum suum quaeret &c.) respondentium esse statuat: repetendum hic vult, id quod praecesserat וְיִשְׁאַלְתֶּם , & quidem in imperatiuo וְיִשְׁאַלְתֶּם quaerite: quod, vt illic cum וְיִשְׁאַלְתֶּם , ita hic cum וְיִשְׁאַלְתֶּם construatur, vt & Ier. XXXVIII. 4. Ezech. XIV. 7. Ps. XLIII. 5. vt iubeamur quaerere legem & euangelium. In reliquis additam statuit comminationem;

tionem, ubi וַיִּשָׁא sit particula asseuerantis, uti & 2 Sam. I. 4, atque וַיִּשָׁא referendum sit ad praecedens וַיִּשָׁא, hoc sensu: si doctores non loquentur secundum verbum hoc legis ac euangelii, certe seducent populum & non erit ei aurora. Hanc sententiam complures alii sectantur. Forte tamen conuenientissime ad verba contextus Ebraei & ad mentem loquentis, verba v. 20. tanquam ipsius Messiae verba ita capientur, (utpote respondentis iam & respondere docentis ad obiectiones sciorum, non ut sint amplius verba illorum ipsorum) ita nempe, ut in priore hemistichio huius versus: ad legem & ad testimonium, repetendum sit ex v. 17 verbum וַיִּשָׁא. nimirum וַיִּשָׁא vel וַיִּשָׁא vendemus vel attendemus tanquam ad regulam. Verborum autem posterioris hemistichii hic, ut diximus, sit sensus: nisi (h. e. alioqui) dicent secundum verbum illud, cui non est aurora. Nimirum extra verbum obsignatum legis vel euangelii ex nullo alio verbo vel scintilla lucis saluris affulget, ne aurora quidem; ubi quam maxime respectus erit ad illud verbum à sciolis iactatum. Hoc nempe est verbum illud mendax, de quo Ezech. XIII. 6 sqq. XIV. 9. In solo illo verbo Dei obsignato est aurora illa filios Dei velut rorem generans Ps. CX. 3, illud solum veritatis verbum est semen ex quo filii Dei generantur. Iac. I. 18. 1 Petri I. 23.

§. XXV.

Iudicium
Messiae
3) illata
fames spi-
ritualis
reicien-
dorum.

Beneficium revera erat, quod expetierat Messias, retractio doni Prophetiae à gente refractaria, in obsignatione canonis verbi diuini, ne posthac pateret via illusionibus spirituum seducturorum. Grauius est iudicium, quod infecuturum praenunciat reiiciendis, nempe fames spiritualis, cuius & causam & atrocitatem indicat, pergens Cap. VIII. 21: *Et transibit in illa induratus & famelicus, & fiet, quoniam esuriet, ad furorem se concitabit, vel efferuescet ira sua, & maledicet in rege suo & in Deo suo, & spectabit in superna.* Quod dicitur *Et transibit in ea*, illud וַיִּשָׁא in ea conuenientissime refertur ad ante memoratam legem ac testimonium. *Transire autem siue studium quaecunque*
in

in lege designet, siue culpabilem leuitatem in illo studio connotet, siue contumacem legis transgressionem, eiusque vilipendium & contemptum indicet (*), est ipsum poenae huius initium atque causa. Hoc enim dicitur: *Et transibit in illa lege nempe ac testimonio, quilibet illorum sciorum & pythorum, non tanquam profecturus ex ea & se instructurus, sed tanquam induratus, conf. Rom. XI. 25* *Et famelicus, nunquam inueniens quo satiatur, quo conuertatur, cum dura ceruice ei semper resistat. qualis fames describitur Amosi VIII. 11. 12. Ezech. VII. 19. 26.* Ideoque quia semper famelicus perseuerat, semper discens, nunquam ad agnitionem veritatis perueniens, *ira concitabitur aduersus ipsam legem & testimonium, forte aduersus ecclesiam Cant. I. 6, Et maledicet per (**)* *regem suum & per Deum suum.* Non indicatur cui maledicturus sit. Non scilicet tam ipsi legi maledicturus videtur, quam cuicumque sibi aduersanti, & suas quas venditat traditiones, mussitationes & meditationes respicienti vel taxanti. Depingitur vero etiam hic nobis Iudaeorum peruerforum corruptio, quae, imprimis tempore praesentiae nostri Saluatoris in terra, imo etiam hodiernum conspicitur, qua student quidem legi, sed transeuntes in ea suis indurati praeeiudiciis, vel temeraria cum leuitate, imo cum eius impio vilipendio, non satiantur, sed famelici accedentes famelici discedunt, & irascuntur & maledicunt. Ita maledicebant excommunicantes Christum eiusque discipulos ac sectatores Ioh IX. 22. 27. VII. 49. 51. 23. XVI. 2. Ita etiam nobis hodiernum maledicunt. Memorantur autem maledicere *in rege suo*, i. e. in suo quem sibi fingunt Messiam, qui igitur rex ipsorummet dici videtur, quod ipsi illum ex suo beneplacito sibi fingant, quum respuerint recipere verum regem suum verumque Messiam, quod non mundanum regnum institueret, Lucae XIX. 14. Ita *in Deo suo* maledicere dicuntur, non quod verum Deum, olim peculiariter ipsorum Deum, adhuc venerentur tan-

tan-

tanquam suum Deum, sed in Deo quem ipsi confingant sibi, & pro lubitu sibi statuunt, quum tamen eius respuant filium vnigenitum (qui filium negat, neque Patrem is habet 1 Ioh. II. 23) adeoque non talem Deum amplius agnoscant, qualem se reuelauit. Quod autem additur: *Et spectabit sursum* siue in superna, eo indicari videtur, quod toties signum è coelo postularint ipsi Iudaei Lucae XI. 16. conf. 1 Cor. I. 22, vel quod adhuc Messiam ex coelo praestolentur.

(*) Ita etiam D. Carpzovius l. c. p. 82, qui illorum temerariam in legis explicatione versationem indicari statuit; cuius exempla exhibeantur Matth. V. 21. 22. 33. XV. 4. 5. 6. XXIII. 16. sqq. 1 Cor. II. 7. 8. Ioh I. 11.

(**) Non videtur congrua interpretatio: *maledicet regi suo & Deo suo*. Nam ללך cum ׀ constructum est maledicere per aliquem alicui. Sic 1 Sam. XVII. 43 Goliath legitur Dauidi maledixisse per Deum suum.

§. XXVI.

*Iudicium
Messiae
3) prae-
dicta
pertinax
excoeca-
tio Iu-
dacorum
sue te-
nebrae
extre-
mae.*

Poenam, quae totum populum ob illam in Deum & eius legem irreuerentiam apprehensura sit, indicat Messias, pergens Cap. VIII. 22: *Et intuebitur in terram, & ecce coarctatio & caligo, obscurato vel fatigato angustia, vel auolaturus (*) ab angustia, & tenebris circumactio*. Ita, ut puto, concinnissima erit huius versiculi interpretatio, quae alias interpretibus non parum facessuit negotii: ut nempe dicatur angustia super angustiam, caligo super caliginem venire & vrgere terram eiusque habitatores. Imprimis autem de spirituali angustia & tenebris spiritualibus haec dici (**) videntur, non exclusis tamen etiam tenebris & angustiiis temporalibus, quas hostes populi & religionis illaturi erant, de quibus dixerat capite praecedente. Non autem hic versus cum praecedente cohaerere nexu tam arcto

arcto

arcto videtur, vt idem, qui ibi dictus fuerat spectare sursum, ille hic dicatur intueri terram: sed plane aliud & de alio hic dici videtur. Antea nempe de pythonibus & eos sequentibus dictum erat quod sursum spectent: hic vero quiuis viator, tanquam spectator admittitur, subintellecto nempe sub verbo & intuebitur subiecto indefinito, quod nostri per man exprimunt: man wird das Land angeschauen. latini quis vel quispiam aut quicumque adiicere solent: & spectabit siue intuebitur quisque in terram. Sed Hebraei sine addito tertiam verbi actiui ita solent adhibere, vbi subiectum indefinitum, vel vniuersale indigitare volunt. vti mox idem versu sequenti obseruare licebit. Quodsi etiam de Iudaeis id solummodo dictum contendas, nihil tamen aliud indigitatum censebis verbis hisce, quam vaticinium, quod terram saltem spectaturi sint, hoc est terrena tantum quaesituri, terrenum regnum, terrenum Messiam, terrenam redemptionem, terrenas victorias, terrenam potentiam, terrenam felicitatem: quum tamen in terra non nisi coarctationem, caliginem & angustiam inueniant.

(*) Verbum אָוּל polysemon est & nunc *volatum* (idque significatu maxime proprio & frequenti, quem & deriuatum habet אָוּל auis) nunc obscuritatem, nunc fatigationem indicat, quod a אָוּל habet. Primus significatus h. l. forte ille est qui ab ipso Spiritu Sancto intentus, certe commodissime applicatur: vti & versiculo proximo sequente in אָוּל . Neque aduersatur genio linguae hebraeae, fugam malorum indicare volatu, auium more suscepto. Sic Dauid Ps. LV. 7 suas calamitates considerans dixi, inquit, quis dabit mihi alam sicut calumbarum? אָוּל auolabo.

(**) Ita vocabulum אָוּל occurrit Deutr. XXVIII. 29, vbi Deus hanc poenam comminatus fuit Iudaeis immorigeris, quod ex coecitate cordis, in meridie palpaturi sint sicut coecus in tenebris. Huc forte referendae sunt *tenebrae extimae*, quas filius regni

K

regni

regni iudicio suo denunciatur praesens iam in terris Immanuel
Matth. VIII. 12.

§. XXVII.

Vt reiciantur mali.

Deligantur boni.

Causam tam tetrae caliginis & grauis angustiae addit Saluator, non tam in eo, quod nulla prorsus lux fulsura fit, sed quod lucem omnium splendidissimam Iudaei more suo sint contemturni, propter loci, vbi ea quam maxime fulget, ignobilitatem. Ita enim subiicit Cap. IX. 1: *Quia non auolare factus est quis ideo, quia angustis detentus in ea terra est, id est, nemo illorum angustis suis eo se ferri ac incitari patitur, vt veram salutem quaerat: qui tamen immissarum à Deo illarum angustiarum scopus est, vt auolent homines eo vbi salus est, sed licet auolare tentent, respuunt tamen eo volare vbi salus est, & potius auolant eo, vbi grauioribus tenebris & angustis quisque inuoluitur. Ratio est, quia sicut primo tempore vilipendunt quilibet, vel contemptum aluit versus terram Zabulon, & versus terram Naphthali, & postremo honorauit seu glorificauit eandem, viam nempe maris, ripam Iordanis, Galilaeam gentium.* Versus 2: *ibi tamen populus ille, qui ambulabant in tenebris, vident lumen magnum: habitantes in terra umbrae mortis, super illos lux splendet.* Frustra Iudaei, & qui eos ex Christianis sequuntur interpretes, hic de afflictionibus & deportationibus Naphthalaeorum & Sebulonitarum cogitant, factas ab Assyriis regibus: vnde se difficultatibus inextricabilibus inuoluunt, quas neque cum antecedentibus neque cum sequentibus conciliare valent. Verba כַּעַת הָרַחֲשִׁין ad primas origines & prima tempora historiae Israeliticae reducunt, vbi contemtissimae erant tribus Sebulon & Naphthali, vt haud obscure indicat Debora in suo cantico Iud. V. 13. Dein vero honorabiliores euadebant bello contra Sifferam feliciter suscepto, quum nempe antea bonis litteris saltem studerent, vt de Sebulonitis Debora testatur Iud. V. 14 & de Naphthaleis Iacob vaticinatus

natus

natus est Gen. XLIX. 21. contemnebantur tanquam desides & imbelles. postea vero etiam ipsi inter primos advocabantur à Gideone ad persequendos hostes. Iud. VI 35- VII. 23. Vnde etiam David Ps. LXVIII. 28 principes Sebulon & principes Naphthali celebrat. Pari modo Messias hic dicit rem successuram esse illo tempore, quo ipse & sui gnati & discipuli futuri sint in signa & in prodigia in Israele. Et probe notandum est, quod non tribum Sebulon & tribum Naphthali memoret, quoniam illae tunc non amplius superfuturæ erant, sed *terram Sebulon & Naphthali*, ubi ipse quam maxime honorabiles efficiebat illas vrbes & regiones. Et quam contemptæ Christi praesentis tempore illae terrae fuerint, satis patere potest, quando Nathanaëlem legimus tam confidenter dicere Ioh. I. 47: ex Nazareth potestne quid boni esse? & Phariseos Nicodemo obiicientes Ioh. VII. 42: scrutare & vide, quod Propheta ex Galilaea non surrexit. Ita igitur etiam tunc contemptui habebant ob terram illam Christum lucem veram, & Messiam, nec ad illum aduolare ex angustiis suis suscipiebant. Ita vero Christus etiam hoc loco praedixit clare, ubi initium praedicandi euangelii facturum sit.

§. XXVIII.

Finito iam sermone Messiae Iesaias, antequam pergat in sua ad Achasum oratione, excipit quasi verba Saluatoris humili sua interpellatione; & usum vel porisma quasi ex illis elicit; gaudendum igitur esse in tanta Messiae beneficentia, non angustiis & tenebris calamitatum & errorum locum amplius esse dandum. Imo quasi dolore percitus ob dicta Messiae de populi sui ad tantas tenebras detrusione, intercedere pro ipsis videtur, & loco illius tenebricosi status & obdurationis in amore tenebrarum, expetere illis amorem lucis & gaudium in luce. Idque pluribus argumentis. Ita inquit Cap IX. 3: *Amplificasti hanc gentem: annon magnificasti gaudium? gaudebunt ad faciem tuam*

*Quo modo
Propheta
Messiae
orationem
exceperit,
expetendo
suae
genti
gaudium
in luce
eius.*

K 2

tanquam

3) Quia
id con-
gruum
praesen-
tiae Im-
manue-
lis.

tanquam gaudio in messe, quemadmodum exsultant in distribuendo sibi praedam. Licet vocabalum ^{וַ} Iudaeis abierit in vocabulum conuicii, quo nos proscindere solent; ipsi tamen magistri eorum, v. g. Raschi, Radak, & alii Iudaeos h. l. isto vocabulo indigitari admittunt. In quo autem Deus hanc gentem dicatur amplificasse, dissentiunt interpretes. B. Dorscheus de exaltatione populi prima illa, qua eum ex Aegypto Deus eduxit, explicat. Nec obstat quid, quo minus de ista amplificatione sumatur. Conuenientissimum tamen videtur, si statuamus, prophetam respicere ad ea quae proxime dicta sunt, & intelligere exaltationem illam, qua tanta lux ei orietur, qua ipse Messias non grauatur minister esse & euangelista huius gentis. Quum vero de tanta illorum temporum caligine, exasperatione, ira, & angustia dictum fuerit, optat vt etiam illud Deus Messias adiiciat, vt etiam remotis illis malis & anxietatibus tota gens gauderet in illa sua glorificatione & exaltatione. Imo quum summa exaltatio huius gentis in eo consistat, quod ipse Messias ex ea carnem & sanguinem assumat, vt toties promissus virginis partus ex ea prognascatur, ad hanc exaltationem quam maxime propheta respicere videtur, & inde optare, vt & gens tantopere honorata etiam semper gaudere possit; & tum, quum Rezinem ac Pekachum metuebant; & deinceps, ne ab Assyriis & Aegyptiis affigerentur & vastarentur; & etiam ipso tempore praesentis in terra illa Messiae. Ita enim interrogatio illa: *Anne magnificasti gaudium?* appositissime desiderium enixum prophetae genti suae gaudium à Deo expetentis & optantis loco afflictionum, indicabit. Vt enim particulam negatiuam ^{וַ}, (quam Keri annotat diuersam lectionem ^{וַ}, neque hic est vt quid moremur) interrogatiue interpretemur, ipsa accentuatio imprimis suadere videtur. Si tamen dubites interrogationem admittere, poterit Samuelis Bohlii (*) interpretatio commode locum habere: *multiplicasti siue eue-*

eue-

euexisti *populum* in eo vbi non multiplicasti *gaudium*. Imo etiam, si durior videatur ellipsis talis, qualem Bohlius statuit, licet stilo linguae sacrae non infueta sit, poterit etiam illud *non magnificasti gaudium*, accipi tanquam prophetae querela, eodem fine prolata, vt gaudium suo populo à Messia magnificandum expetat. Quod verumtamen gaudium suae genti integrae non futurum videt, praedicat tamen fore abundantissimum visuris faciem Messiae, ita nempe, vt non tantum corporis oculis, sed simul etiam oculis mentis eum agnoscant. Imo id ipsum argumenti loco videtur attulisse, quo Messiam moueret ad gaudium populo dandum, quia in praesentia Messiae non possit non summum esse gaudium. Quod ipsum est, quod Messias noster in suis discipulis praedicauit Lucae X. 23. 24 dicens: beati oculi qui vident quod vos videtis &c. itemque Matth. IX. 15: num possunt filii thalami dolere, quamdiu sponsus cum ipsis est. conf. Ioh III. 29. ita & Ioh. XVII. 13 pro iis orabat, vt gaudium suum in iis existeret consummatum. Et Cap. XVI. 12, promittebat: iterum vos videbo & cor vestrum gaudebit, & gaudium vestrum nemo a vobis auferet, & v. 24: petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit consummatum. Tunc enim messis amplissima Ioh IV. 35, tunc distributio praedae praestantissimae Lucae XI. 22. Ephes IV. 8. Ies. LIII. 12. Ps LXVIII. 13.

(*) In Commentario Bibl. Rabb. ad hunc locum p. 170.

§. XXIX.

Causam huius gaudii indicat propheta, & simul nouum argumentum dandi suo populo illius gaudii eo inculcat, (*) subiiciens Cap. IX. 4: nam iugum oneris eius nempe gentis iudaicae, & baculum humeri eius, (**) virgam exactoris eius fregisti, ô Immanuel, sicut die Midian. De temporalibus iugis & exactionibus non est vt hic cogitemus. De onere legis insupportabili Act. XV. 10 conf.

K 3

Matth.

2) Quia ablatum sit i guma daicas.

3) Quia
dissidium
populo-
rum in
amoris
incendi-
um fit
mutan-
dum.

Matth. V. 17. Rom. VII. 4 sqq. X. 4, per Messiam sub-
lato sermo est. Hoc quum iugum peculiarissime extite-
rit gentis Israeliticae, eo fracto quidni gaudium iis dan-
dum esset? Comparatur haec oneris & virgae & exacto-
ris remotio atque confractio cum Midianitica victoria per
Gideonem parta, quia per paucos & ignobiles curanda, &
imprimis descendente in vterum incorruptae virginis Mes-
sia, velut rore in vellus Ps. LXXII 6. conf. Ies. XLV 8, &
aliis modis (***) typo similis existit antitypus. Et quod
addit Propheta v. 5: *quia omnis conflictus confligentis in
commotione & veste voluta in sanguinibus: & erit in ustionem,
depassionem ignis*; eo nouum concedendi gaudii argumen-
tum suae intercessioni adiicit; nam his verbis nihil ali-
ud videtur indicare, quam quod deinde Cap. XI 9 di-
cit. nimirum omne bellum Messiae non futurum nisi in
commotione, & sanguinis Messiae fusione, & in igne ver-
bi, quem Christus Lucae XII. 49 dicit se venisse vt ac-
cendat. Vnde discordia & discrimen gentium populi-
que Israëlis, debeat desinere, & omnes vno diuino foe-
dere iuncti vnum Deum colere. Quod enim ait: *omnis
conflictus confligentis in commotione erit*, eo indicat non ali-
am quam illam animorum commotionem ex euangelio
factam, de qua Deus etiam Haggai II. 6. 7: adhuc vnum
pauillum est, & ego מְרַעֵשׁ commoueo coelum & ter-
ram, mare & aridam, וְהִרְעַשְׁתִּי & commouebo omnes
gentes, & veniet desiderium omnium gentium. conf. Ebr.
XII. 26. Qualis ista commotio sit futura, describitur
Ier. XXXIII. 9. Act. II. 12. 37, item Lucae XII 51 sqq.
coll. 1 Petr. IV. 4. Sic quod dicit Iesaias: *& vestis est
voluta in sanguinibus*, respicere videtur ad Iacobi vaticini-
um Gen. XLIX. 11 de Schilo dicentis: vestem suam in
vino lauit, & tunicam suam in sanguine vuarum. conf.
Ies. LXIII. 2. 3 & typum vestis Iosephi Gen. XXXVII.
31. Hac certe euangelii praedicatione, & vestis siue
carnis Messiae in sanguine eius perfusione, vere ablatum
est

est iugum oneris nostri, & virga, ac baculus exactoris, & sublatum est disfidium populorum Eph. II. 14 - 18, & partum est nobis gaudium consummatissimum, à nobis non auferendum in secula seculorum. Atque haec omnium commotio per euangelium, haec sanguine tincta vestis facta est vere in *ustionem & depastionem ignis* (****), non qua comburatur ipsa vestis, nedum illa animorum commotio, sed qua ipsa vrunt & inflammant fidei incendio animos, & tanquam igne depascunt & exurunt vitia, & quicquid se aduersus veram fidem extollit. cont. Ies. IV. 4.

(*) Conferri meretur explicatio versus 4 & 5 quam exhibet Cocceius h. l. § XXXI sqq.

(**) *Baculus humeri* videtur notare phalangam, qualibus solebant imponi onera & humeris gestari. Ita arca foederis, & omnes tabernaculi Mosaici partes gestabantur in humeris sacerdotum ac Levitarum, phalangerum ope: tanquam typus onerum cultus & legis Leuiticae. Haec onera iam tollenda, indeque baculi & phalangae confringi debebant.

(***) Annotauit plura Ioh. Forsterus Commentario in Iesaiam, h. l. p. m. 226.

(****) Ita enim quae in hebraeo occurrunt vocabula, actiui significatus potius sunt quam passiu. Quod quidem de *תַּרְפֵּשׁ* saltem in quam plurimis, vbi occurrit, locis manifestum est. Alterum autem *תַּרְפֵּשׁ* non recurrit nisi infra in hoc ipso nono Iesaiæ capite, v. 19, vbi dicitur populus esse tanquam *depastio ignis*, addita ratione, quia vir fratri suo non parcit, alter alterum depascit & tanquam ignis consumit.

§. XXX.

Sed clarissime iam ipse propheta noster causam illam tanti gaudii, qua omne iugum & virga & baculus populi frangatur, & quae ignem illum accendat, plene manifestat, & fortissimum simul argumentum, quo suo populo gaudium in luce illa concedendum viget & cepit, subiicit

4) Quia
populo
huic im-
primis
datus Im-
manuel.

subiicit, quod nempe sit ipse ille in signum datus virginis partus, Immanuel, quam maxime Iudaeis datus & natus, & notus omnibus suis beneficiis & nominibus, & illorum regnum stabiliturus in aeternum. Ita enim pergit Cap. IX. 6: *quia puer natus est nobis, filius (*) datus est nobis: & factus est principatus (tanquam per luctam acquisitus conf. Gen. XXXII. 28.) in humero ipsius: (**)* & *vocabit nomen eius quisque admirabilem, consiliarium, Deum heroem (Θεὸν ἥρωον, Immanuel, Deum & hominem, non φιλόνηρωον sed fortem & masculum heroem. conf. Cap. X. 21) patrem aeternitatis, principem pacis. v. 7: Ad amplificationem (***) principatus, & ad pacem sine termino, super throno Davidis & super regno eius, ut ordinet illud & ut stabiliat illud in iudicio & in iustitia. A nunc & usque in seculum zelus Iehouae Zebaoth faciet hoc. Manifestissimum est, non de alio quam de Messia Immanuele, (*) dicta haec esse, & accipi non de alio posse. Neque in Hiskiam, neque in quemcunque alium quadrant illa nomina, gnato huic danda. Et vanum est Iudaeorum commentum, (**)* quo gnato illi non nisi nomen principis pacis, dandum dici fingunt, reliqua autem nomina indicare eum, qui nomen istud daturus sit illi gnato: neque enim vllum indicium discerpendarum ita illarum agnominationum ex textu, vel ex linguae genio, vel ex accentuatione afferre possunt; imo haec omnia iis potius aduersantur. Neque seris possunt obiicere, deesse ita nominatiuum ad verbum מְשִׁיחַ pertinentem; non indicari, quisnam gnatum illum ita sit vocaturus. ignorare enim nequeunt genium linguae suae, nullum requirentis nominatiuum, vbi indefinitum et prorsus vniuersale subiectum indicandum est. Quod innumeris exemplis e sacro codice, et de ipso etiam מְשִׁיחַ potest probari. (***) Atque si obiecerint, nostrum Messiam non ita ab omnibus nominari, quum et ipsi, et tot gentes aliae ista ei non concedant nomina: viderint, ne sero plangent hanc negatam ei agnominationem, quam tamen ei tandem aliquando

quando

quando dare debebunt, sed quando non amplius id eis erit salutare, iuxta Ies. XLV. 23. sqq. conf. Rom. XIV. 11. Sed neque in Hiskiam, neque in quemcunque alium, nisi in Messiam, quadrare potest, quod natus & datus fuerit ad pacem, cuius non sit terminus, (*) & quod regnum Davidis ordinauerit ac stabiliuerit vsque in aeternum. Friuolum autem prorsus esset obiicere, quod Iesaias loquatur de puero iam tunc, quando isthaec loquebatur, nato: Ipsi enim Iudaei non ignorant, hunc esse prophetarum morem, vt de futuris perinde ac de praeteritis loquantur. Ita & Kimchi atque Raschi ad Ies. XLII. 16 regulam statuunt: lingua prophetiae est loqui de futuro tanquam de facto. (**). Tanto autem conuenientius de eo tanquam iam nato loquitur, postquam orationis suae cursu ad ea tempora describenda venerat, quibus reuera tanquam iam natus existere debebat.

(*) *Filium* dici hoc loco simpliciter illum, qui כֶּרֶן עֲלֵי־חֵן est filius, nempe filium aeternum esse nobis datum, confirmari potest ex dicto ipsius illius filii & Messiae Ioh. III. 16. Videntur etiam Hebraei veteres Messiam כֶּרֶן עֲלֵי־חֵן & simpliciter filium appellasse, vbi forte non prorsus respuenda auctoritas Midrasch Coheleth, folio 93. 4, *Est quidam, cui nec filius nec frater. Hic est sanctus* (filius nempe Dei) *qui nec fratrem nec filium habet. Fratrem non habet, filium vnde haberet? nisi quod Deus dilexit Israelem, & vocauit filios.*

(**) Verba haec non incongrue conferentur cum illo quod praecesserat, *baculum humeri eius confregisti.* Nimirum in suos humeros transtulit Messias omne onus & peccati & damnantis illud legis. Et in hoc est principatus eius, quod in se transfereudo peccata & poenas eorum, ecclesiam sibi acquisiuerit & populum peculii sui, Ies. LIII. 10. 12 Tit. II. 14. Et ita antiquam Iudaicam ecclesiam verba haec intellexisse testis est Chaldaeus interpres παραφράζων illa: *Et suscipiet in se legem ad seruandum eam.* Nimirum quod super humeros est, oneris habet indolem, siue ser-

L

vile

vile illud sit onus Gen. XLIX. 15, siue gubernatricis curae ac regiminis Ies. XXII. 22, vnde non inconcinne Theologi hic etiam Christum in cruce, quam humeris suis baiulavit, & cui humeris affixus elogium regis Iudaeorum à Pilato accepit in titulo crucis, considerandum sistunt. Huc spectat illud Ps. LXVIII. 20: onus gerit nobis Deus salus nostra. conf. Matth. XI. 27. XXVIII. 18. Ioh. V. 22.

(***) Multum interpretes commentantur de Mem clausa in medio לַמְּרֵבָה. Quidam per mysterium hic putant indicari annum 767 in verbis לַמְּרֵבָה הַמְּשֻׁרָה, nempe annum resurrectionis Christi, ab illo Esaiæ tempore computatum, ubi tamen ם clausum non requireretur. Alii alia afferunt, quae magnam partem exhibet Licentiatus David Tancken in Diss. ad h. l. Rostochii 1620 habita §. L. Quae nonnulli de indicata incorrupta virginitate matris Messiae, clauso utero concipientis partum & enitentis, habent, longius petita sunt. Scilicet tamen acrius hanc sententiam exagitantem perstringit Hackspanius Notarum Philol. Theol. P. II. p. 570. sq. Si codices meliores hebraei haberent Keri, ut nonnulli habent, quum tunc puncta ך̄ Chetibh ad Keri pertinerent, putarem Chetibh esse duo vocabula distincte legenda ך̄ & ך̄.

(*) Ita Chaldaeus interpres, explicans haec: *dixit Propbeta domui Davidis, puer natus est nobis, filius datus est nobis, & suscipiet in se legem, ad servandam eam. Et vocabitur nomen eius à conspectu mirabilis consilio, Dei fortis permanentis in secula, Messias, in cuius diebus pax multiplicabitur nobis.*

(**) Iudaei nominatum cum verbo *vocavit* construendum constituentes vocabula mirabilis, consiliarius, Deus fortis, aeternus pater, non tam graviter errant ac alii ex suis, qui omnia illa nomina Hiskiae tribuunt: cum quibus tamen ex nostris facere non dubitavit Renatus Andr. Kortum, merito confutatus à summe reuerendo Rostochiensi Theologo D. Herm. Christ. Engelkenio in Pentade dictorum V. Testam. à manifesta peruersione vindicatorum, Rostochii 1720 p. 26. sqq. Errant tamen & ipsi, quum non modo accentus sibi aduersos habeant, sed etiam genium linguae suae. Ex cuius constante usu in libris sacris observato Iac. Gus-

Gus-

Guffetius in Ternione controuersiarum aduersus Iudaeos, p. 135. sq. hunc adstruxit canonem: post verbum נָרַץ in denominandi usu adhibitum, & vocem $\text{שְׁמוֹ$ cum pronomine suffixo, subiectum denominandum indicante, nomina quae immediate subiunguntur, sunt nomina subiecti denominandi. Quem ingenti numero locorum scripturae ibi allegatorum confirmat. Nomen autem nuncupantis, si quis indiget, semper verbo נָרַץ praemittitur, vt cum Cocceio Vitringa hoc loco annotat. conf. Guffetius ib. p. 82. & Varenius ad h. l. p. m. 202 sqq.

(***) Videatur Gen. XI. 8. ideo vocauit *quisque* nomen eius vrbis Babel XIX. 22 ideo vocauit *quisque* nomen vrbis Zoar. Sic Cap. XVI. 14; vocauit *quisque* (de sola enim Hagare capi nequit, quum נָרַץ sit masculinum) fontem illum fontem viuentis videtis me. Ex. XV. 23. vocauit *quisque* nomen eius Mara. Deutr. XV. 2, quia vocat *quisque* missionem Domino. Gen. XXVII 36, num quia vocauit *quisque* nomen eius Iacob, supplantauit me. Num. XI. 34, & vocabit *quisque* nomen loci huius sepulchra concupiscentiae. Iosuae V. 9, & vocauit *quisque* nomen loci huius Gilgal. Cap. VII 26: ideo vocauit *quisque* nomen loci huius vallem Achor. Iud. I. 17 & vocauit *quisque* nomen vrbis Harma. XV. 19, ideo vocauit *quisque* nomen eius fontem inuocantis. Ier. XXIII. 6: hoc nomen eius quo appellabit eum *quisque* &c. conf. Ioan. Gerhardus in Exegesi Loci de scriptura, § 328 Hackspanius Notarum Philol. P. II. p. 566.

(*) conf. Cocceii comment h. l. §. 41. sqq Ioan. Frischmuth in Diff. de Profopographia Messiae, & Wagenfeilius ad Tela ignea satanae p. 515. sq. Quos duos etiam cel. Vitringa laudat.

(**) conf. Varenius ad Iesaiam p. m. 197. conclusione 2 it. p 189. conclusione 6.

§. XXXI.

His de Messia Immanuele positis Iesaias, facta iam mentione zeli Domini Zebaoth, antequam pergat de tempore aduentus eius, & de regni eius beneficiis plenius edocere, reuertitur ad ea quae Pekachum & Rezinem at-

L 2

Demonstratio
secunda
inutilitatis
foederis cum
Assyrio.

tinent, vt penitus omnem metum euellat, causas iam enarrans cur illi, & quam maxime Ephraim, prorsus eueri debeant, imo cur & Assur non ampliores aduersus Iudam progressus facturus sit, quam Deus sit ipsi permissurus. Nempe postquam modo dixerat zelum Iehouae Zebaoth istud effecturum esse, vt nascatur filius ille nobis datus, qui regnum Dauidis ordinet & stabiliat in aeternum: ostendit nunc, qualis & quantus ille Dei zelus extiturus sit, qui Ephraimum quidem sit destructurus ne populus sit, licet non sine antegressa expectatione longanimitatis poenitentiae illius: quum Iudam & Dauidis domum euersurus non sit, nec permissurus Assyrio vt Iudam extirpet, vel ita destruat, ne satis illustres eius maneat reliquiae; licet ei satis insolentiae sit permissurus & crudelitatis, aduersus Iudaeos ob eorum peccata exercendae: quum domus Dauidica sit seruanda propter illum datum nobis filium, eiusque causa etiam iudaicae tribus reliquiae sint custodiendae. Igitur de zelo illo diuino aduersus Ephraim ita Iesaias iam fermocinatur, vt primo in genere validum indicet diuinum verbum respectu omnium filiorum Israelis, Cap. IX. 8: *Verbum misit Dominus contra (*) Iacob, & cecidit* siue validum euasit (***) *contra Israel.* conf. Iosuae XXIII. 14 sqq. Deinde figillatim aduersus regnum Ephraimiticum id validum fore dicit v. 9: *Et cognoscent hic populus totus ille, Ephraim nempe & habitator Samariae.* Addit causas cur in exitium eorum validum sit futurum Dei verbum, primam nempe: *in superbia & in magnitudine cordis (***) dum dicunt, v. 10: Latere ceciderunt, sed lapide caeso reaedificabimus; sycomori excisae sunt, sed cedros pro iis surrogabimus.* Causa igitur zeli diuini aduersus Ephraim prima hic indicatur ipsorum fastus, quo quicquid iis aduersi, etiam ab ipso Rezine, disponente sic Deo euenturum, alto supercilio contemturni sint, neque Dei manum in his agnitori, sed superbe contra nisuri. Verbum igitur zeli diuini contra fastum talem subiungit propheta v. 11: *Atque exaltabit siue roborabit Iebeuab hostes Rezinis*

A vali-
 ditate
 verbi
 Diuini
 contra
 Ephraim.

Eius pri-
 ma causa
 fastus
 Ephrai-
 mitarum.

con-

contra ipsum Ephraim, nempe, (*) & inimicos eius commiscebit, v. 12: Syros à fronte & Philistaeos à tergo, & comedent Israellem plena bucca. Addit tamen nondum plenum excidium instare, Deo adhuc exspectante poenitentiam: In omni eo non recedit ira eius nempe Iehouae, & adhuc manus eius extensa est. Ira non recedit, quia poenis illis nondum emendantur: quia tamen in ira misericordiae recordatur, iuxta dictum Habac. IV. 2, adhuc extensa est manus eius ad revocandum populum illum ab impietate & exitio suo, sicut Ies. LXV. 2, dicit: tota die extendo manus meas ad populum refractarium. Nondum properat ad excidium illorum plenarium, sed adhuc aliis modis eos ad poenitentiam inuitare tentat.

(*) Praefixum כַּ conuenientissime hic redditur *contra*. Quem significatum saepe obtinet v. g. Num. XII. 1. 8. *contra* Mosen, it. cap. XXI. 5. 7. sic 1 Chron. XXI. 17: sit manus tua *contra* me & *contra* domum patris mei, 2 Regg. XIII. 17: sagitta salutis *contra* Syros &c.

(**) Ita verbum חַוֵּה est quandoque *validum esse*, v. g. Ier. XXXVI. 7: fortassis *valida* erit deprecatio eorum. Cap. XXXVII. 20: *valida* sit quaeso deprecatio mea. conf. cap. XLII. 2.

(***) In magnitudine cordis, quasi ex magnanimitate, Vbi vere locum habet, quod Plato dicit Alcibiade II. p. m. 43: μεγαλοψυχία, τὸ τοτὸ κάλλιστον τῶν ἐν ἀρεσύνῃ γε ὀνομάτων. Magnanimitas honestissimum nomen insipientiae.

(*) Res ipsa monstrat & contextus, imprimis consequentia, suffixum in חַוֵּה non ad proxime praecedentem Rezinem esse referendum, sed ad primarium sermonis obiectum, remotius licet in verborum contextu, memoratum nempe versu 8 populum Ephraimi & habitatorem Samariae. Id quod nec alias infrequens est. v. g. 2 Regg. I. 5: reuerfi sunt legati ad ipsum, nempe Ahasiam, non ad Eliam proxime memoratum. conf. D. Danzii Interpres §. 41.

§. XXXII.

§. XXXII.

Secunda
causa,
impoeni-
tentia.

Secunda Zeli diuini aduersus Ephraimum causa memoratur contumax eius impoenitentia Cap. IX. 13: *sed hic populus non reuertitur vsque ad percutientem illum.* vid. Hof. VII. 9. 10 conf. Ies. I. 5. Ier. V. 3. H. 30, & Iehouam Zebaoth non quaerunt, ne quidem apud Prophetas veros, neque pseudoprophetarum verbum examinando ad verbum Dei. conf. Ezech. XX. 1 sqq. Hinc subiungit propheta verbum Zeli diuini aduersus hanc quoque contumaciam: & abscindet Iehouab caput & caudam, ramum & iuncum (*) die vna v. 15: *senex & spectabilis facie siue venerabilis*, conf. Ies. III. 3, *est caput, & propheta docens mendacium est cauda.* v. 16: & facti sunt beatificantes, siue ducentes (***) populum hunc, seducentes; & beatificati, siue ducti, facti sunt absorpti. conf. Matth. XV. 14. Ier. V. 31. v. 17: *propterea super electis siue iuuenibus eius scilicet populi non gaudebit Dominus*, non enim gaudet de filiis stultis Prou. XVII. 21, sed in timentibus ipsum Ps. CXLVII. 11, & orphanos eius & viduas eius non miserebitur: quia omnis ille populus hypocritam agit, vel profanus est Es. XXIV. 5, & male agit, & plena bucca, siue omne os loquitur stultitiam. conf. Ies. XXXII. 6. it. Ps. XIV. 1. Ier. V. 12. Subiicit tamen: *in omni eo non recedit ira eius, nempe Iehouae, & adhuc manus eius exarsa est.* In his nihil amplius est, quod nos, habita praesertim instituti nostri ratione, possit morari.

(*) Prouerbialem hanc esse locutionem obseruant viri docti. Et annotauit cel. Vitringa ex Raschio יוֹנִין non tantum iuncum, sed significatu generaliore ramum tenerum significare, quasi suprema virgulta arborum.

(**) Vtrumque enim verbum יוֹנִין notat, & ducere & beatum praedicare. quae hic per syllepsin commode possunt iungi. beatificando nempe alliciebant & ducebant auditores, & ducti se sic putabant beatos. vid. Ezech. XIII. tot. Act. XX. 30. 2 Tim. IV. 3.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Tertia Zeli diuini aduersus Ephraim causa est proaere-
tica & flagrans eius malignitas, flagrans iniuriandi, no-
cendi, & male agendi libido Cap. IX. 18: *quia ardet si-*
cut ignis improbitas. (*) Verbum Zeli diuini aduersus hanc
facinorosam improbitatem statim additur, quod scilicet
ea ipsa ad ipsorummet mutuam consumptionem cessura sit:
senticetum & vepretum, quale totus iam Ephraim euasit,
comedet, & ardebit in perplexitatibus syluae, & in fauillam se con-
*uertent superbia (**)* *fumi.* v. 19: *in excandescencia Iehouae Ze-*
baoth obfusata est terra, & fiet populus hic sicut depastio ignis,
siue sicut depascens ignis, *vir fratri suo non parcent, nemo*
clementia in alterum vtetur, eruntque sibi inuicem irre-
conciliabiles, alter alterum perplexitatibus inuoluens,
quippe alter alteri *senticetum & vepretum.* conf. Michae
VII. 4. v. 20: *& abscerpent ad dextram quisque, & esuriet,*
et comedet ad sinistram, & non satiabuntur: quisque carnem
brachii sui comedent. conf. Ier. XIX. 9. v. 21: *Menasse Ephrai-*
*um, & Ephraim Menassen, simul illi contra (***)* *Iudam.* Ad-
dit etiam hic: *in omni eo non recedit ira eius, nempe Ieho-*
uae, & adhuc manus eius extensa est.

Tertia
causa,
proteruia
iniurian-
di.

(*) *ושר* est in perpetuo nequitiae motu esse. Vid. Geierus
in Comment. ad Prou. II. 2. conf. Prou. XIII. 6.

(**) Sic dicitur superbia maris Pf LXXXIX. 10. *Fumus*
videtur notare fumantem iram Dei. conf. Deutr. XXIX. 20. Pf.
LXXIV. 1. LXXX. 5.

(***) Anglicani interpretes apud Polum h. l. concinne
notant: *ut ut inter se diuisi, vires contra ecclesiam coniungunt.*
Pf. II. 2. LXXXIII. 9. fqq.

§. XXXIV.

Quarta denique Zeli diuini aduersus Ephraim causa, &
quae ipsum plenarium exitium secum affert, est iuris &
iudiciorum verbique diuini (*) corruptio, quam descri-
bere

Quarta
causa,
corrupte-
la doctri-
nae.

bere Propheta orditur particula dolentis, imo exitium minantis. Cap. X. 1: *Vae legislatoribus, pro lege ferentibus siue promulgantibus iniquitatem & idololatriam, atque scribae molestiam scripserunt.* v. 2: *ad declinandum à iudicio siue processu forensi tenues, & ad diripiendum iudicium siue ius pauperum populi mei; ut sint viduae praeda ipsorum, & orphanos spolient.* Verbum diuini Zeli aduersus hanc iuris corruptionem additur v. 3: *atque quid facietis in die visitationis & in vastatione violenta, quae è longinquo venit? ad quem confugietis ad auxilium impetrandum, quum ipsi ius corrueritis, vnde auxilium afflictis expectandum est, quum peruerteritis iudicium Dei, (**)* qui supremum est in angustiis refugium? *Et ubi relinquetis, vel prosequemini honorem vestrum nempe maiestatem regni & reipublicae, opes & facultates priuatorum? conf. Is. XVII. 4. Hos. IX. 11. v. 4. absque me, vel ne procumbat infra vincitum & infra trucidatos cadent. conf. Es. LXV. 12. Ezech. XXXII. 18. 20. 22. 24 &c.* Addit adhuc propheta: *in omni hoc non recedit iracundia Iehouae, & adhuc manus eius extensa est.* Licet peccatum hoc tanquam apex consummatae impietatis Dei zelum coacturum sit, vt extremum populo Ephraimitico excidium inferat. nec tamen eo populum emendatum iri queritur, vt ira Dei posset recedere: nec tamen Dei misericordiam penitus cessaturam testatur, quia adhuc extendat manum suam etiam ad vincitos corrigendos, nisi emendationem omnem detrectaturi essent.

(*) Videntur vtique *legislatores* (qui etiam לְקַיְמָתָם dicuntur Iud. V. 9) & *scribae* non iudices politicos notare eorumque scribas, vt Iudaei fere alique viri docti volunt, sed in generaliore significato omnes ius dicentes, quod in gente Israelitica non debebat aliud esse, quam ex diuino verbo. Hi licet in regno Ephraimitico non essent Leuitae & sacerdotes Leuitici, sed illi quos Ierobeam constituerat eiusque successores, vid. 1 Regg XII. 31 sqq. tanto magis tamen à diuino verbo recedebant, idololatriam docentes.

centes. conf. Hof. IV. 6. XIII. 1. 2, & sic יְהוָה & יְהוָה frequentissime idololatriam notat. Vnde primariam idololatriam Israheliticam sedem Bethel Hofeas vocat Bethaven Cap. X. 5. 8. Hanc vero docendi & leges idololatrias ferendi libidinem tanto magis usurpabant ad suppressendos pauperes, orphanos, ac viduas, sicut dein Pharisei & scribae, quum verbum Dei quidem retinerent, abutebantur facultate illud interpretandi ad satiandam suam avaritiam, Matth. XXIII. 14. 25. conf. Michae II. 1. 2.

(**) conf. Hoseae IX. 7. 12. Ita Hoseas ultimus Rex Israhelis frustra Aegyptiorum auxilium implorabat 2 Regg. XVII. 4. conf. Hof. VII. 11.

§. XXXV.

Haecenus Propheta verbum zeli diuini aduersus Ephraim referendo, & sicut ipsi reuelatum fuerat, recensendo, enarrauerat: nunc vero quum ad summum fastigium diuini aduersus Ephraim zeli peruenerit, ipsum Deum loquentem, & verbum illud contra Israel proferentem introducit. Vt igitur, quod Cap. IX. 8 dictum fuerat: *Verbum misit Dominus contra Iacob, & validum est contra Israel;* id videatur huc quam maxime referendum, ad hoc quod sequitur consummati excidii verbum: quod ex ore Dei ipsius tale est Cap. X. 5: *Vae Assur, baculus est irae meae, atque virga ipsa in manibus eorum nempe Assyriorum, est indignatio mea.* Particula *vae* $\text{וַיִּי$ non hic vt v. i. minantis, & tristitia etiam Assyriis denunciantis interiectio videtur, sed dolentis, vt ostendat Deus quam inuitus procedat eo, vt Assyrium adhibeat ad puniendum populum istum suum (*) *Assur* autem dum dicit, non certum aliquem regem Deus determinare videtur, sed, vti ad caput VII. 17 annotauimus, omnes ex illa regione terram sanctam infestaturos. Ita enim ex sequentibus patescet, Deum non tantum de primis illis & *uultus* dictis Assyriae regibus Ephraimitas euersuris agere, sed & sub eodem Assyrii nomine & Babyloniorum aduersus Iudaeam progressus, & alios sero adhuc futuros terrae Iudaicae vastatores Assuris nomine complecti. Atque etiam Babylonios dictos fuisse Assyrios, tum ex profanis scriptoribus, Plinio imprimis constat, tum etiam ex ipsis sacris litteris. Videatur

Verbum
Dei validum,
Ephraimico regno
plenum
excidii
nunciandi

M

tur

tur noster propheta Iesaias Cap. XIV. 25. XXIII. 13. it. Num XXIV. 23. conf. 2 Chron XXXIII. 11. Michae V. 6. Atque sic Nebucadnezarem Babylonium Deus virgam etiam irae suae appellat passim. vid. Ier. LI. 20. Ezech. VII. 10. 11. XXIX. 20. XXX. 24. sq. De hoc igitur Assure dicit Deus primo se missurum eum aduersus Ephraim, v. 6: *Contra gentem hypocritam siue profanam, conf. Cap. IX. 17. mittam eum, & super populo excandescitiae meae mandabo ipsi, ad depraedandum praedam & ad spoliandum spoliis, & ad ponendum illum populum concuteationem, sicut lutum platearum.* Hoc vero est verbum zeli diuini consummati, & plenam inter- necionem ac euersionem inferens contra Israel. nec am- plius memoratur extensa manus gratiae diuinae.

(*) Vatablus & Forerius hortantis & vocantis particulam esse statuunt, qua Deus aduocet Assyrium ad munus suum. Grotius autem, quem etiam alii sequuntur, vult Deum hic minari Assuri, ob abusum concessae aduersus Israelem potestatis. Sed quum hoc & sequenti versu nihil de Assure memoretur, quam ea quae ipse Deus per illum agat, non poterit eo ipso illi maledicere iam, aut vae minari, sed potius cum dolore indicare summum irae suae gradum, quem in gradu praecedente v. 4 praedixerat, vbi nempe ira Dei iam prorsus in plenario excidio Ephraitarum, quasi quietura, & plene consummanda sit, nec amplius manus ad conuersionem exten- denda. vid. Ezech. v. 13. it Ies. I. 24.

*Demon-
stratio
tertia
inutilita-
tis foede-
ris cum
Assyrio
ab eius in
Iudaeam
pariter
ac alios
insolen-
tia.
Quam
solum Deo*

§. XXXVI.
Relinquit dehinc Deus Ephraim in suo excidio, & iam sermonem flectit ad indicandum, cur eidem Assuri, licet iuxta dicta Cap VII. v. 17 sqq etiam Iudaeam vastaturus sit, nolit tamen permittere, vt aequae ac Ephraimicum po- pulum, ita etiam Iudaicum penitus excindat; & cur zelus diuinus, iuxta dicta Cap. IX. 6. 7. licet Assur terram Iu- daicam varie sit populaturus, nihilominus daturus sit gna- tum & filium illum, qui regnum Davidis ordinet ac stabili- liat in aeternum. Nimirum causam huius sui zeli aduersus Assurem & pro vindicando Iuda & regia Davidis stirpe indicat fore tum Assuris fastum, sibi ipsi arrogantis glo- riam

riam factorum, quae Deus per ipsum gesserat; tam reli-
 quiarum Iudaicarum se conuertentium (iuxta vaticinium
 nominis filii Iesaiæ Schear Iaschubh) custodiam & conser-
 uationem. De priori Deus ita inquit Cap. X. 7: *sed ipse*
nempe Assyrius non sic computabit vel ratiocinabitur, & cor
eius non sic cogitabit; nam ad perdendum est in corde eius, & ad ex-
scindendum gentes non parum. v. 8: Quia dicit: annon principes mei
simul sunt reges? se nempe regem regum iactat. v. 9: Annon
sicut Garchemis est Calno? annon sicut Arpad est Hemath? annon sicut
Damascus est Samaria? v. 10. quemadmodum suffecit manus mea re-
gnis deastri illius acquirendis: atque sculptilia eorum idola erant
prae Hierosolyma & Samaria excellentia. v. 11: Annon sicut feci
Samariae & deastri eius. sic faciam Hierosolymae & venerabili-
bis siue idolis eius? In quibus omnibus Deus quam maxime
 utique spectat proximos reges Assyrios aduersus Iudaeam
 insurrecturos, imprimis Sennacheribum, cuius adeo ipsa
 fere verba praedicit, quae postea per legatos, & literis
 suis ad Hiskiam, protulit 2 Regg. XVIII. 24. 30. 33. 34. 35.
 XIX. 10. 11. 12. 13. Simul tamen Deus etiam reliquos,
 qui ex Assyria populum suum infestaturi erant, videtur re-
 spicere, utpote eadem cum Sennacheribo chorda oberrantes,
 & pari fastu turgidos futuros. Id quod ex proxime se-
 quentibus abunde poterit constare. Caeterum omnino con-
 ferendus hic est locus Deutr. XXXII. 27.

aliquan-
diu re-
frenet.

Assyrii
insolens
fastus.

§. XXVII.

Ita enim Deus iam indicat inanitatem fastus illius Assy-
 riaci, & quem facile ipse sit repressurus, quotiescunque
 per eum effecerit in monte Zion siue familia Davidis, &
 in Ierusalem siue republica Iudaica, quae in suum commo-
 dum ibi efficere susceperat. Ita enim & zelum suum ad-
 versus populi sui peccata, & pro conseruatione domus
 Davidis & populi iudaici, ipse exponit Cap. X. 12: *Sed fiet,*
quando praecise perfecerit, & quaestui quasi sibi fecerit Domi-
nus omne opus suum in monte Zion & in Ierusalem, visitabo ra-
tiones quasi subducturus super fructu magnitudinis cordis Regis
Assur & super amplitudine elationis oculorum eius. v. 13: Quia
dixit:

Fastus
ille virga
in manu
Dei.

M 2

dixit:

dixit: in robore manus meae egi, & in sapientia mea, quia intelligentia instructus fui: et remoueo terminos gentium, & reposita ipsorum diripio, & deiecti tanquam robustus habitatores. v. 14: Et suffecit tanquam nidus manus mea facultatibus populorum capiendis, & sicut colliguntur uua derelicta, omnem hanc terram ego collegi, & non fuit motitans alam, aut aperiens os, aut pipiens. Iam plenius detegit Deus tumidissimae huius arrogantiae inanitatem v. 15: Num gloriabitur securis super caedentem ea? num ferra magnificabit se super agitantem eam? Sicut (*) videlicet agitabit virga attolentem eam, sicut attollit baculus eum qui non est lignum. Dehinc iam poenam huius factus indicat v. 16: Ea propter mittet dominator ille Dominus Zebaoth in obesos eius (quasi saturatos & pinguefactos victoriae & occupatio praedae populorum, conf. Ps. LXXVIII. 31) matiem, & subter honorem eius (conf. Ies. VIII. 7. Prov. XIV. 28) incendet incendium tanquam incendium ignis. v. 17: Et erit lux Israelis in ignem (**), & sanctus eius in flammam, concremabit & comedet vepretum eius & fenicetum (***) eius in una die. v. 18. Et honorem eius & campi eius consumet ab anima usque ad carnem, & erit sicut liquefcit (*) vexillifer. v. 19: Et reliquiae ligni syluae eius numerus erunt i. e. rarae & paucae, vt numerari facillime possint, conf. Ps. CV. 12. Ezech. XII. 16. Deutr. XXXIII. 6, & puer describet ea. Ex his vero abunde patet, non de solo Sennacheribo isthaec esse dicta: quum ex ipso divino consilio non debuerint ante euenire illa omnia Assyriis, quam ipse Deus omne opus suum in monte Zion & in Ierusalem praeciderit & praecise perfecerit. וַיִּכְרַם quod hic in fontibus habetur, est fecabit, praecidet, notatque simul absolueret & quaestum facere, & quam maxime videtur textorum esse, qui telam, quando perfecta est, abscindunt, conf. Ies. XXXVIII. 12, & tunc quaestum & lucrum sui laboris sibi faciunt. Nam & de licito lucro capi vocabulum וַיִּכְרַם, ex Mal. IH. 14. patere potest. Deus vero opere suo in familia Davidis & in populo iudaico aliam non texere telam suscepit, quam vt seruaret suos electos, & imprimis Messiae sui regnum ordinaret ac stabiliret. conf. Ies. I. 25. Hinc nihil

omisit

omisit, tum hortationibus, signis, miraculis, beneficiis populum suum sibi deuinctum tenere, tum etiam poenis, plagis, calamitatibus, bellis, deportationibus bonos à malis separare & quasi abscindere. Quum vero Sennacherib Hierosolymis exitium minaretur, nondum omne opus suum Deus pertexuerat, vt telam posset praecidere. Tunc enim demum omne *וְכָל עֲשֵׂתוֹ* opus eius praecise perfectum dici potuit, quando in gnato illo & filio nobis dato regnum Davidis ordinasset & in aeternum stabilivisset, de quo Cap. IX. 7 dictum fuerat: zelus Iehovae Zebaoth *וְזֵלַת יְהוָה* faciet hoc. PARS igitur saltem telae & operis absoluta fuerat, quum separatae & abscissae essent incorrigibiles decem tribus: vnde & visitatio diuina aduersus Sennacheribum erat pars saltem illius visitationis aduersus fastum Assyrii, de qua h. l. dixit. PARS telae pertexuerat, quum per Nebucadnezarem occupatis Hierosolymis, & deportatis plurimis in babyloniam captiuitatem, populum suum quasi cribraffet: de quo igitur Ieremias, adhibito hoc ipso vocabulo dicit Thren. II. 17: fecit Iehovah quod cogitauerat, *וְכָל עֲשֵׂתוֹ* praecise perfecti sermonem suum, & gavisus est contra te hostis. Perfecerat utique tunc verbum suum & suum opus, sed nondum omne verbum & omne opus suum. Interim tamen & visitationis super fastum Assyriacum pars etiam Babylonios attigit, vt à Medis & Persis vastarentur, & denique ab Alexandro Macedone. Pari ratione res dein processit cum Antiochis eorumque successoribus, quos à Parthis & Armenis (***) diu male habitos tandem Pompeius Magnus emaciauit. DONEC tandem perfecto omni opere (quum Christus ex monte Zion, siue ex familia Davidis, natus esset, & ex hac Zione lex, & ex Ierusalem verbum Domini exiisset in omnem mundum, iuxta Ies. II. 3. Michae IV. 2) praecideret Deus totam telam, & per Romanos iam Hierosolymas in aeternam vastitatem poneret, non amplius per Assyrios, tanquam per virgam aut baculum castigandos. Tunc etiam plenam aduersus Assyrium visitationem per

M 3

iplos

ipfos Romanos instituit, Traiano imprimis Assyriam prouinciam faciente, & ita illas terras depopulante, vt ab illo tempore vix nomen Assyriae & Assyriorum in historiis amplius occurrat: tandemque Septimius Seuerus Adiabenos h. e. Assyrios deleuit, vt Sextus Rufus loquitur in Breuiario C. XXI. qui in illo libello ex instituto hoc egit, iussu Valentis Imperatoris, vt doceret, quo modo Assyriorum res à Romanis attritae fuerint, siue, vt C. XV. loquitur, quoties Babyloniae & Romanorum arma collata sint, & quibus viribus sagittas pila contuderint. Et circa id quod Deus h. l. dixit, se *in obesos missurum maciem*, notari meretur, quod Aurelius Victor in Caesaribus, C. XX §. 2, de Septimii Seueri in Assyria gestis loquens, scribit: *Adiabena quoque, ni terrarum macies despectaretur, in tributarios concessisset.* Adeo regio opulentissima tunc pristinam suam faciem migrauerat, eiusque honor & decus ac ornamentum omne consumpta erant, vt despectui esset ipsis suis victoribus. Caeterum non obstare potest huic nostrae interpretationi, quod v. 17 dictum est, haec euentura esse *in die vna*. Vt enim taceam in sacris diem vnam saepenumero non notare tempus illud quod sol semel terram ambiendo conficit, sed tempus saepe plurium annorum, à Deo scilicet determinatum, vid. Ies. LXVI. 8. Zach. XIV. 7. saepe idem est ac *aliquando*, v. g. quum Dauid 1 Sam. XXVII. 1 dicit, nunc peribo *die vna*, i. e. aliquando in manu Saulis. Atque tamen, si de euenturis pluribus sit sermo, connotatur hac phrasi, quod illa simul, suo quodque tempore, certo sint euentura, vid. Ies. XLVII. 9. Gen. XXVII. 45 vbi si Esau Iacobum interfecisset etiam ipse occidi debuisset, in die vna, i. e. tempore certo, licet id intercurrente satis conspicuo temporis intervallo contigisset.

(*) Cocceius interpretatur: *quasi agitaret quasi eleuaret.*

(**) Respicere videtur ad historiam Exodi XLIII. 21. conf. Ps. XXVII. 1.

(***) Vid. Ies. IX. 17. Chaldaeus interpretatur: *Et consumes magnates eius & satrapas eius.*

(*) Pro:

(*) Prouerbialis videtur esse locutio. Guffetio autem interprete Comment. linguae ebraicae p. 519. M. Innuit his propheta, eundem fore rerum statum, ac ubi ille ipse qui velut asylum aperiens, aliquid ad aliorum salutem idoneum habere videbatur, perit, nam tunc conditio omnium desperatissima est. Cocceius interpretatur: *Et erit ut tabes quod insigne est, vel ipse insignis; & de Nebucadnezare dictum esse putat. Caeterum liquefcere dicuntur animum despondentes Ies. XIX. 1. Ps. LXVIII. 3.*

(**) Ita Tacitus annalium Lib. XV. Cap. I: *Egressus Armenia Tigranes Adiabenos (ita sequiori tempore Assyrii dicti fuerunt) latius ac diutius quam per latrocinia vastauerat.*

§. XXXVIII.

Haecenus Dei verbum aduersus Iacobum missum & aduersus Israelem validum, introducto ipso oratore Deo, aliam etiam sacrosanctae Trinitatis personam ista effecturam v. 12 & 16 commemorante, audiuius. Pergit iam propheta alteram causam Zeli diuini, non eodem rigore aduersus Iudam ac aduersus Ephraim procedentis (quum hunc excindat ne sit populus, Iudam autem sinat manere populum amplissimum) enarrare, nempe conseruationem reliquiarum ad Deum se conuertentium. Ita vero loquitur Cap. X. 20: *Et fiet in (*) die siue tempore illo ipso non adiciunt amplius reliquiae Israelis (non omnes posteros & omne semen Israelis memorat, quod tunc extitutum est, sed saltem reliquias; & quod non temere excidisse putandum est, reliquias Israelis, scilicet in quibus nempe reliqua est fides luctatrix patriarchae ipsorum, ex qua nomen Israelis meruit, qui igitur non tantum sanguinis ratione, sed etiam fidei respectu supersunt vera progenies Israelis, & genuini Israelitae, conf. Ioh. I. 48) & euasio (**)* siue quidquid tanquam quaestus Dei & acquisitum eius peculium euasit iram eius, & liberatum est inter posteros *domus Iacobi, vt innitantur super ipsum percutiente, vti nunc super Assyrio inniti suscepit Iuda ipsum tam atrociter afflicturo: sed innitentur super Iehouab sancto Israelis in fide (vnde dicitur vrbs fidelis Ies. I. 26. Zach. VIII. 3.)* v. 21: *reliquiae*

Non per
Assyrium
sed per
DEVM
seruandam
Iudaei,
quicun-
que ser-
uabunt
147.

603-

conuertentur, Schear Iaschubh (hic quasi filium suum acclamans nomine prophético ideo donatum, vt indicio esset non excindendum totum populum, loquitur: vnde etiam ratio panditur, cur eum secum deducere in occursum Achasi iussus fuerit Propheta Cap VII. 3.) (***) *reliquiae Iacobi ad Deum Heroem*, illum gnatum nobis natum & filium nobis datum, cuius nomen extitutum θεός ἡρώων Deus heros, iuxta dicta Cap. IX. 6, qui igitur est ille ipse Iehovah sanctus Israelis, super quo fide innisurae dictae sunt illae reliquiae. v. 22: *Tamen si futurus sit populus tuus o Israel sicut arena maris*, (*) sicut reuera à tempore Christi fuerunt, & etiam nunc existunt innumerabiles, non tamen omnes conuertentur, sed Schear Iaschubh, *reliquiae & illi liberati, reliquiae genuinae Israelis, conuertentur ad illum Deum heroem*: vtpote quae reliquiae futurae sint *consummaturus verbum decidens* siue definiens, vel potius (quum sit participium Paul.) *definitus vel decisus*, hoc est, definite sciens quid agendum Ies. XXX. 21. Michae VI. 8. Ioh. XIV. 6. VII. 38. Act. X. 43. XIII. 39. XVI. 31. *exundans & plenis quasi torrentibus profundens* (conf. Ies. II. 3. Amos V. 24) *iustitiam*. (**) Id quod primario impletum videtur in discipulis & liberis Messiae, praekonibus iustitiae per fidem in Christo θεός ἡρώων, qua innitatur super Iehovah illo sancto Israelis, in quibus lex & testimonium colligari & obsignari debebat, iuxta dicta supra Ies. VIII. 16. Simul tamen omnes fideles, imprimis ex populo Israelitico, sunt ille Schear Iaschubh *consummaturus verbum & definitus*; qui re ipsa verbum Dei implent fide sua, & exemplo suo docent illud iam completum esse & definitum, perspicuum ac efficax, quo sunt tanquam luminaria in medio peruersorum, exemplo suo exundantes iustitiam. De quibus omnibus Petrus congrue ad praesentem locum, dicit: vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (siue quaestus & peculii) vt virtutes enuncietis (& quasi exundetis) eius
qui

qui ex tenebris vos vocauit in admirabilem suam lucem (et sic verbum suum in vobis impleuit, ac definitum, statum & clarum exhibuit) 1 Petri II. 9. conf. Phil. II. 15, quorum iam abundantior est iustitia, quam Pharisaeorum & scribarum Matth V. 20. Vel, si צדקה ablatius sit, subaudito כ, vt Pauli docet interpretatio, exundans iustitiã, & חַיִּיִּם sit quasi effuso cursu viam scindens *συντρέμωνων* (vt de equo currente adhibetur Ier. VIII. 6.) erit decidens in iustitia ille, qui iustitia Christi iustificatus & recreatus pleno cursu incedit in viis Domini. Ps. CXIX. 32. Vtitur autem metaphora ab equo in cursum frenis laxis effuso: quum, vt recte Patres dicunt, nesciat tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Ita cessat omnis difficultas, quae circa hunc locum interpretes suspensos tenet. Sed pergit Propheta v. 23: *Quia verbum sententiae plenae (***) & firmi propositi, & verbum decisum siue definitum est illud Schear Iaschubh; Dominus Iehovah Zebaoth fecit illud in meditullio totius terrae i. e. vbique gentium Deus sibi ex tota amplissima hominum multitudine semper separat, perficit, decidit, & quasi complementum aliquod & peculium facit reliquias se conuertentes, & in ipso Deo heroe innitentes vera fide. De quo conferri meretur insignis locus Dan. XI. 36. sqq.*

(*) Quum non dicat post haec vel post hanc diem, sed *in die illa*, patet indicare prophetam statum ecclesiae verae, non qualis post Dei aduersus Assyrios iudicium futurus sit, sed qualis sit interea, & durante iudicii aduersus Assyrium, & castigationis populi Iudaici per Assyrium, die sit futurus. Vti vero dies ille durat, vsque dum Dominus & Messias omne suum opus in monte Zion exacte perfecerit, adeoque vsque ad vltimam Assyriorum emaciationem, ipsamque Hierosolymorum desolationem: patet statum ecclesiae etiam ipso Christi in terris praesentis tempore, & dein post ascensionem suam per Apostolos euangelium in omnem terram diffundentis, futurum describi.

(**) Ita saepius reliquiarum Israelis & euasionis mentio fit. vid. Cap. I. 3. 9. IV. 3. VI. 13. XI. 16. XXXVII. 31. sq. Michae IV. 10. V. 3. 7. Zephan. II. 7. 9. III. 12. 13. Zach. XIII. 8. 9. XIV. 16.

N

(***) Cor.

(***) Consentire videtur Ioan. Markius in *Diff. Philol. Exeg. Exercit. XV. § 2. p. 476. sq.* vbi adstruit Scheat Iaschubum, filium Iesaiæ natiuitate potius, quam institutione aut morum similitudine, à patre, iussu vel impulsu diuino, hoc nomen accepisse, in symbolum reliquiarum populi conuertendarum & saluandarum, vno vel alio vel vario modo & tempore, in communiore corruptione & perditione gentis. coll. Ies. X. 20. 21. Additque: *Quæ eius nominis significatio etiam videtur ratio fuisse filii huius in laeto salutis nuncio secum sumendi à vate.*

(*) conf. Hoseæ I. 10. sq. De modo autem separandarum illarum reliquiarum & conuertendarum, conf. Ezech. XX. 35. 38. Zach. XIII. 8. 9.

(**) Ita Paulus Rom. IX. 28 adprobat versionem graecam huius loci, vt sit *לְמַלְאֵךְ וְיִמְלֵךְ* λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων, *qui verbum complet ac perficit*, conf. Matth. VII. 28. Ebr. VIII. 8. Lucae IV. 13 & *definit rotunde, clare, definite exhibet*, (conf. Act. XXIV. 4: peto vt audias nos *συντόμως*, concise, rotunde, definite) *in iustitia*. *לְמַלְאֵךְ* saltem recurrit Deutr. XXVIII. 65, vbi oculorum consumptionem vel defectum notat. *וְיִמְלֵךְ* eodem quo hic significato habetur 1 Regg. XX. 40.

(***) Ita *לְמַלְאֵךְ* manifeste sumitur 1 Sam. XX. 33. conf. Ies. XXVIII. 22. Dan. IX. 27.

§ XXXIX.

*Afflictio
Iudaeæ
ab Assy-
riis certo
immi-
nens.*

*Sed re-
frænan-
da.*

Quum ab Assure tam atrocia populo Iudaico euentura Deus supra praedixerit, munit nunc suos, vere nempe fideles, quos habitantes in monte Zion appellat, id est, super filio Dauidis vera fide inaedificatos, consolatione, summum Dei amorem spirante. Simul vero ad Assuris antitypum antichristum respicere videtur, etiam tempore N. Tui infestaturum illas reliquias se conuertentes, & in seruitute quasi Aegyptiaca eas aliquandiu detenturum. Sic igitur inquit Cap. X. 24: *Ideo sic dixit Dominus Iehovah Zebaoth, ne timeas popule mi habitans Zionem, ab Assure; quia virga te percutiet & baculum suum attoller super te in via siue iuxta morem Aegypti.* (*) v. 25: *Quia adhuc parum pauillum est, & consummabitur indignatio & ira mea super attritionem (**)* eorum. v. 26: *Atque excitat super eum Iehovah Zebaoth flagellum sicut illud*

illud cladis Midian in rupe Oreb: & baculus eius nempe Iehovae erit super mare, & attollet eum ipse Iehovah etiam in via siue iuxta morem Aegypti. (***) v. 27. & erit in die siue tempore ipso illo, recedet onus eius, nempe qui postremo nominatus est, Iehovae Zebaoth, ab humeris tuis, & iugum eius de collo tuo, & corrumpetur iugum à facie olei siue prae pinguedine. Non posse ista de Sennacheribo capi, vel inde latis patet, quod is nunquam more Aegypti in habitatores Zionis imperium tenuerit, eosue in seruitute quasi Aegyptiaca habuerit. De Nebucadnezare igitur potius, & de Antiochis haec dicta esse patet, tanquam genuinis Antichristi typis. Opponit autem Deus virgae flagellum, & baculo Assuris baculum suum, antitypum Mosaici, de quo clarius Cap. XI 4 loquitur, quo mare sit diuisurus, & ad transitum facile facturus, dum vltra mare ad insulas gentium, hoc est in Europam, extensurus sit manum, vt etiam gentes aduocet in regnum Christi. conf. Cap. XI, 15. 16. Ps LXXXIX. 26. Flagellum autem aduersus Assurem dicitur Michae V. 5 septem pastores & octo principes; siue numero certo posito pro incerto, quum non tantum à Romanis, sed etiam à Parthis, Armeniis, aliisque Assyria sit conculcata; seu quod septem pastores notent ipsos Romanos, Roma quippe à pastoribus quasi in septem montibus exstructa, & octo principes sunt forte totidem illorum belli duces aduersus Assyriam diuersis temporibus illam infestantes & depopulantes. Miraculosam autem Midianitarum cladem etiam hic, vt & supra Cap IX. 4 memorari videmus, imprimis ex Iud. VII. 25. Ita enim saepius victoria Gideonis in exemplum allegatur, conf. Ps LXXXIII 11. Loqui vero Deum de postremis reipublicae Iudaicae temporibus, & sicut ipsius Messiae in terram praesentis diebus, & paulo post, ea sit futura, satis ex eo manifestum, quod illo ipso tempore iugum suum & onus suum à populo suo tollendum dicat, approbans & confirmans verba Iesaiiae Cap IX. 4 prolata. Atque ita ipse Chaldaeus interpres Ionathan (*) oleum quo iugum corrumpetur, de Messia exposuit.

N 2

(*) Id

(*) Id est, non te, vti regnum Ephraïticum excindet, sed virga saltem & baculus erit te affligens, sicut olim Aegyptus erat, te seruitute premens, exactiōibus affligens: frustra autem graviora tentaturus, sed saltem ex iusta Dei indignatione immorigeros, qui penes te sunt, castigaturus.

(**) Videtur ad Assyrios referendum esse suffixum, & *ל* significare propter, quod propter inueteratam eorum malignitatem citius tollenda ira Dei, quae hactenus populum suum per Assurem castigauerit. Parum autem pusillum respectu Dei est, quod ex hominum iudicio quandoque nimis diuturnum videtur. conf. Michae V. 3, vbi ad tempus partus virginis calamitas durare dicitur.

(***) Respicit procul dubio ad Ex. XIV. 26. conf. etiam Michae VII. 15.

(*) Ita ille, citante Varenio in h. l. p. m. 277. sq: *Confringentur populi de coram Messia. licet iugum & onus non de lege diuina, sed de seruitute Assyriaca acceperit.*

§. XL.

Domus
Dauidi-
cae ex-
trema
humilia-
tio.

Accessurus iam propheta ad clarius indicandum tempus Messiae, partus virginis, pueri nobis nati & filii nobis dati, vltimum Dei opus in monte Zion per manus Assyrii expediendum proponit, nempe humiliationem domus Dauidicae maximam. Cuius operis longe tristissimi & maxime horribilis descriptionem orditur totius expeditionis Assyriacae hunc in finem suscipiendae delineatione. Cap. X. 28-32. De expeditione Sennacheribi haec quodam fere consensu interpretes exponunt. Obstat tamen nexus huius vaticinii cum antecedentibus & consequentibus, & quum Sennacheribi expeditio in pluribus locis sacri codicis enarrata sit, nusquam tamen illae memorantur vrbes, quas hic Propheta indicat. Micha vero Cap. I. 9. sqq. Sennacheribi expeditionem praedicens alia loca memorat ab ipso infestanda. De Nebucadnezaris tramite videatur. Ier. IV. 35. Videtur igitur Iesaias hic potius Antiochorum, vel forte simul & Sennacheribi & Nebucadnezaris & aliorum edisserere in Iudaea progressus. Quorum quisnam effectus sit futurus, statim addit, pergens Cap. X. 33: *Ecce dominator ille Iehovah Zebaoth deramat seu ramis priuat ornatum siue*

rami-

ramificationem per violentiam, & proceri statura exscinduntur, & excelsi humiliabuntur. v. 14: *Et amputabit perplexa huius sylvae per ferrum, & hic Libanon per magnificum cadet.* Videtur Iesaias, imo Deus ipse loquens, postquam Assurem montem domus Zionis familiae Davidis, collem illum Hierosolymorum attigisse & adoriri conspexerat, quasi dolore percitus nolle ea quae ibi vidit Assurem patrare enarrare; exhortescit quasi videns eum adeo pessumdare familiam Davidis: recordatus tamen, quod antea dixerat, Assurem tantum esse securim suam qua ipse caedat, & ferram, quam ipse Deus agitet Cap. X. 15 resumit quasi animum; abhorrens autem Assuri tantum opus tribuere, id dicit, vnde solatium capit & aliis suggerit, non posse haec aduersus familiam Davidis opera, nisi in bonum cedere. Inde sine addita connectendi particula, neque copulatiua neque aduersatiua, exclamat: *Ecce*, quod nunc fit in familia Davidis, probe attendite omnes, res est tristissima & maxime horribilis, sed probe est animaduertendum, non Assur ille impio turgidus fastu, & iactabundus enormi superbia, hoc facit; ecce ipse *dominator ille, Iehovah Zebaoth* illum tanquam ferram agitat, & ipse illo vtens tanquam securi caedit & amputat ex illa domo montis Zionis & collis Hierosolymorum, ex arbore familiae Davidis, omnes ramos & frondes, & quidquid in ea procerum, excelsum, ornatum ac illustre est, vt nullus in ea remaneat vir principatum gerens, conspicuus magistratus officio, eminent super alios, sed indecorus saltem truncus restet, non nisi plebeiae sortis homines ex regia illa eminentissima domo supersint. Ipse Deus hanc exercet violentiam. Ita nempe nunc clarius exponit quod Cap. VII. 17 breuius indicauerat. Interpretes quidem haud pauci statuunt indicari in his poenam diuinam aduersus Assurem, & plures quidem eam quae ipsum Sennacheribum attigit indicari putant. Sed satis vt puto manifestum est, de Sennacheribo in his non posse sermonem esse: de Assuris autem poena iam satis in

praecedentibus dictum erat. Ut vero de effectu expeditionis postremae Assyriacae aduersus terram Iudaicam ista capiamus, inducit 1) quod paulo post Cap. XI. 1. mentio fiat ramis priuati trunci Iessaei; necesse igitur erat factam esse ante mentionem quo modo familia illa peruenerit in conditionem huiusmodi, vt trunco vndique amputato & ramis omnibus orbato similis existeret. 2) Quum Propheta solito prolixius recensuisset progressus Assyrii regis, necessum erat, vt etiam euentum tantae & tam operose descriptae expeditionis non penitus taceret, imprimis quum eum postremo ostenderit ad montem Zionis stantem, & attollentem manus: vbi omnium expectatio exigebat, vt adderetur quidnam hic efficeret. 3) Quia non sine effectu futurum Assyrii conatum aduersus domum Dauidis, iamdum Cap. VII. 17. 20. obscurius indicatum fuerat. 4) Quia, quod probe notandum, ducto quasi Assyrio vsque ad familiam Dauidis, subsistit orator noster. Dum enim hic Cap. X. 33. dixerat, agitabit manum eius Assuris, negotium manus eius erit, mons domus Zionis, collis Hierosolymae; non de vrbis Hierosolymorum obsidione aut occupatione aut infestatione dicit, sed tantum de familia Dauidis. Collis enim Hierosolymae non est ipsa Hierosolyma, sed ipse mons Zionis, & mons Zionis imo domus Zionis absque omni controuersia in diuinis literis familiam Dauidis antonomastice denotat. Quid vero opus erat tantum apparatus & tam operosam expeditionem tam prolixè describere, & ad radices domus Zionis, ad familiae Dauidicae arborem pedes Assuris sistere, nisi memorare uoluisset, quid de ea susceperit? 5) Quum iam de Messia & eius regno prolixius dicere susciperet propheta, convenientissimum erat, vt tempus, quando tandem compariturus esset ille virginis partus, ille Immanuel, designaret disertius: nempe idem quod Iacob patriarcha olim indicauerat, quum penitus remotum esset sceptrum à Iuda. Atque hoc ordo haecenus dictorum postulabat (neque

que enim confuse hic agere, vel rotunda quadratis miscere prophetam, satis perspeximus) quum enim supra non nisi occasione data obiter & obscurius quasi indicasset hoc tempus, nunc ad tempus illud ipso orationis suae flumine advectus, id signatius exprimit, quando, quo apparatu, quibus cum expeditionibus Assyrius ad illam domus Davidicae humiliationem sit accessurus: vnde plenius innotescerent signa temporis instantis partus virginei & Messiae Immanuelis. 6) Ex ipsis Iudaeis doctissimus Abarbenel agnoscit fundatissimam huius loci interpretationem esse de solo populo Iudaeo, non de Assyriorum vel aliarum gentium deramatione (*); vt illi geminum excidium his annuncietur, alterum per Nebucadnezarem alterum per Romanorum Vespasianum. Vbi licet in eo nobiscum non consentiat, quinam sit per quem Deus amputet ramos, nec in eo, quod saltem de familia Davidis deramanda sermo sit; in eo tamen bene perspicacem se exhibuit, quod non de Assyriorum, nedum de aliarum gentium poena commode haec accipiantur, sed propius ipsos Iudaeos spectent. 7) Quod posset difficultatem parere, cur non diserra fiat mentio v. 33 domus Davidicae, & cur adhibeatur icon deramationis; item, quod syluae v. 34 facta mentio magis respicere videatur ad syluam Assyriam v. 18. 19 memoratam: ibi quod primum attinet, facile cessat difficultas, quia non opus fuit iterum memorare familiam Davidis, signanter satis v. 32 indicatam nomine montis domus Zionis & collis Hierosolymae. Quod attinet alterum, etiam illa difficultas cessat, si consideres Deum postremo stitisse Assyrium v. 15. sub icone securis & ferrae, quorum instrumentorum in deramatione imprimis vsus est, & quod Messiam tanquam surculum e trunco deramato prognascentem sistere suscepit. conf. Ies VI. 13. Tertium denique quod attinet, neque illa difficultas magni poterit esse momenti, si consideres saepius etiam regiam Iudaicam Libani & syluae nomine venire.

conf.

conf. Zach. XI. 1. Ezech. XX. 46. sqq., quia è lignis montis Libani constructa erat. Quod si tamen malis v. 34 de Assyrio exponere, non magnopere refragarer: stabit tamen explicatio v. 33 de familiae Dauidicae deramatione; vt saltem v. 34 subiiciatur, Assyrium non tamen impune facturum, quicquid hic, licet tanquam securis, & iuxta Cap VII. 20 tanquam nouacula conductitia, facturus sit; & confirmentur dicta v. 18. 19. sensusque igitur sit v. 34: *sed amputabit tamen ille dominator Iehouah Zebaoth etiam, vti dictum est, perplexa syluae illius Assyriae, neque sinet eum impune grassatum esse aduersus Zionem, & amputabit per ferrum hostium eius, & Libanon ille Assyrius cadet per magnificum, populum scilicet & militem Romanum, vel per ipsum Deum magnificentissimum.*

(*) Videatur Varenius in Commentario ad h. l. p. 282.

§. XLI.

*Aduentus
certus
Immanuelis
clarissimus
determinatur.*

Iam tandem Propheta noster pleno sermonis flumine & laxis orationis habenis fertur ad prolixè describendum partem illum virgineum eiusque regnum, cuius expectatione timorem à Rezine & Pekacho, imò ab ipso Assure, animis adstantium eximere susceperat, vt ostensis Immanuelis illius expectandi maiestate & rebus gerendis & regno amplissimo, plenissima in fiducia omnes stabiliret, fieri non posse, vt populus hic discinderetur, & familia Dauidis euerteretur, antequam Messias ille Immanuel in terra comparuisset. Vbi quum nihil occurrat, quod christianae interpretationi dicti Cap. VII. 14. 15 (cuius causa diligentiorè totius huius orationis propheticæ considerationem suscepimus) aduersari possit, & quod non potius eam plenissime confirmet; licebit nobis in totius huius Cap. XI. consideratione tanto breuioribus esse, & paucis saltem verbis ordinem tractatorum in eo indicare: quum instituti nostri ratio non exigat commentarium scribere, id quod alii praestiterunt abundantissime; sed

osten-

ostendere saltem, totum huius orationis contextum nihil continere, quod obstet, quo minus datum in partu virginis signum de Messia explicetur. Atque quum Propheta in Messia describendo finiat hanc suam orationem, non tantum hoc non obstare potest, sed etiam convenientissimum esse ostendit, quod etiam ab eodem Messia hanc suam orationem auspicatus esse existimetur. Ut vero probemus Iesaiam hoc capite agere de Messia, tanto minus necessarium est, quum etiam Iudaeos multos veteres ac recentiores hic habeamus consentientes, ipsum Paraphrastem Chaldaicum Ionathanem, Kimchium item, Raschium, Abarbanelem, aliosque ab aliis notatos, de Messia rege hic agi consentientes. Describit igitur Iesaias hoc Cap. XI, tum regem ipsum v. 1 - 5, tum conditionem regni eius v. 6. ad finem usque. REGEM Messiam describit tum ratione ortus v. 1: *Et egredietur virgula ex trunco succiso (*) Isai, & furculus ex radicibus eius fructificabit.* tum ratione gloriae, ornatus, & maiestatis eius, v. 2: *Et requiescet super eo Spiritus Iehovah &c.* tum ratione rerum gerendarum ab ipso, v. 3. 4. 5. conf. Michae V. 4. REGNI Messiae conditionem describit, indicatis tum eius praerogatiuis & bonis, inuiolabili concordia v. 6. - - 9. & abundantissima sapientia v. 9. tum eius amplitudine ad gentes etiam se extendente v. 10. conf. Haggai II. 7. tum modo illud extendendi, dilatandi, ac propagandi v. 11. - 16. qui describitur verbis ex historia V. T. depromptis, significantibus NON ISTOS SED TALES, ut eleganter loquitur Dorscheus in annotationibus suis ad h. l. p. m. 51

Descri-
ptione
Regis.

Descri-
ptione
Regni.

(*) Tempus aduentus Messiae hic diserte satis indicari, ex annotatis § XL. abunde, ni fallor, constat. *Truncus succisus Isai*, non est ipse Isai, qui radix est trunci, sed posterius Isai qui omni fronde, omni honore, potentia & decore spoliati sunt; sicut Chaldaeus interpres scite notat, laudante Vitringa. Concinne
O
qui-

quidem non nulli existimant, germinationem ex trunco arido indicare natiuitatem ex virgine, absque cohabitatione viri: idtamen Iesaias h. l. non videtur voluisse dicere.

§. XLII.

*Effectus
praesentiae
Messiae apud
servatas
reliquias
Iudaico-
rum.*

Addit iam Propheta, quem effectum habitura sic haec Messiae regis praesentia, & eius in terris stabilitum imperium, apud populum Dei, super Immanuele in monte Zion inaedificatum; contrarium penitus illi timori & diffidentiae, qua tuncangebatur Ahas & familia Dauidis atque populus Iudaicus. Agnituros nempe esse fideles praedicit proficuum sibi fuisse divinam castigationem, & tanto firmiorem in DEO posituros fiduciam. Epinicion igitur fere illis tribuit, & praescribit ab iis decantandum, quale illud Mosis fuerat, postquam mare rubrum transierant Ex. XV, 1. sqq. Sicut Iesaias in postremis, quae praecefferant, verbis monstraerat DEVM eadem ratione, qua olim in exitu ex Aegypto suis per mare in terram sanctam parauerat viam, etiam nunc mare, non quidem rubrum illud, sed illud quo haecenus nimis separati & abscissi fuerant ab Israele gentiles, siccaturum esse, & omnibus illud permeabile facturum: ita iam igitur fideles etiam illo tempore dicit, imitando eos qui mare rubrum pertransuerant tanquam typum suum, laudaturos suum esse seruatorem. Ita vero inquit Cap. XII. 1. *Atque dices o popule Dei, habitator Zionis Cap. X, 24. vel domus Dauidis Cap. VII, 13. in die siue tempore illo ipso, confiteor siue celebros te, Iehovah, quod succensuisti mihi, recedet ira tua & consolaberis me. v. 2. Ecce DEVS salus mea est, confidam & non timebo, vt olim nempe feceram; robur meum & canticum Iah Iehovah; & factus est mihi in salutem.* Quae ipsa sunt cantici Mosis verba Ex. XV. 2. nisi quod hic dicatur Iah Iehovah, quum Moses saltem habeat Iah. Quo ipso nomine vtique Messias indicatur, vnaque additur nomen IESUS, Ieschua, DEUS salus mea, Ieschuati, & erit mihi in Ieschua, in salutem.

§. XLIII.

§. XLIII.

Quae sequuntur, interpretes quidem etiam tanquam ad populum N. Testamenti spectantia capiunt. Dum tamen Propheta mutat & numerum verborum (in plurali iam alloquens eos, ad quos sequentia dicit, quum singulari antea populum fidelem allocutus sit) & denuo dicat vel praescribat dicenda, ubi causa vix reddi possit, cur non prioribus dicendis & haec dicenda statim iunxisset, & dicendis postea subiecisset facienda: existimarem in his, quae nunc sequuntur, CONCLUSIONEM exhiberi totius huius orationis propheticæ, directam ad adstantes Achasum & reliquos, admonentem eos vt hoc solatio etiam nunc vtantur, & nunc etiam confidant in Domino, in eo gaudeant, eumque celebrent, qui ipsis signum sit praestantissimum, perpetuum & firmissimum fundandae ipsorum fiduciae, quod nullus hostis cuiuscunque insultus possit eis exitialis existere. Ita igitur interpretarer sequentia Prophetæ verba Cap. XII, 3: *Atque vel igitur bauriatis aquas in gaudio ex fontibus huius salutis.* Etiam vos vobis in vestros vsus vertite hanc perpetuo inter vos existentem solatii scaturiginem, quum etiam vester sit ille JESVS, illa salus, ille Immanuel, & virgo illum paritura iam quasi in medio vestrum sit, & gnatus ille iam iam quasi natus sit vobis, & filius ille iam iam vobis datus. conf. Ex. XV, 17. v. 4. *Et dicatis in hoc ipso praesenti tempore vel die, confitemini Iehovae* (verba fere sunt Ps. CV. 1. 2. conf. Ebr. XIII, 15.) *inuocate in nomine eius,* conf. Es. VII. 14. Rom X. 13. *notificate in populis opera eius, memorate quod exaltatum est nomen eius* (de quo videatur nostri Prophetæ Cap. II. II. 17. IV, 2. V, 16. XI, 10. item Phil. II. 9 - - II.) v. 5. *Cantate Iehouam, quia excellentiam fecit siue exercuit,* (conf. Lucae I, 49. 51. Joh. XVI, 33. r Joh. V, 4.) *cognitum hoc est in tota terra.* Certe enim etiam tunc iam iam satis exaltatum & illustre erat nomen Domini, innumeris

Conclusio
totius
Orationis.

meris excellentissimis operibus, & stupendis miraculis inter orbis terrarum populos celebratum, atque etiam de praesenti celebrandum ex potentissima dissipatione confiliorum Pekachi & Rezinis. Vnicum quod forte posset videri obstare, quo minus Propheta haec ad sibi adstantes dixisse putetur, esse poterit, quod v. 4. vtatur phrasi *בַּיּוֹם הַהוּא* dicatis *in die illo ipso*. Facile tamen patere potest, nihil esse quod cogat hunc diem capere de illo, qui v. 1. indicabatur. Vti enim illum praecedentia determinabant: ita hunc, quem hoc quarto versiculo Propheta respicit, signate satis determinat praesens adstantis prophetae oratio, ac vocis moderatio in prolocutione eius, vt necessum non sit eius determinationem ex antecedentibus petere.

§. XLIV.

Epiphonema.

Quod si tamen placeat potius, ex communi sententia interpretum, versiculis tribus praecedentibus dicta ad ecclesiam N. T. referre: certe vltimus versiculus conclusionem totius orationis exhibebit, revera epiphonema, totam omnis temporis ecclesiam, tam Iesaiiae praesentem, quam etiam secuturis temporibus futuram excitans ad gaudium confidentissimum, & ab omni metu procul seiunctum, in praesenti nunquam non Immanuele. Sic nempe definit in hac sua oratione Iesaias Cap. XII. 6. *Hinni equarum ferocientium more & iubila habitatrix Zionis, nihil time (*) nihil formida, nihil exhorresce; quia magnus est in meditullio tui* (tum in coetu sanctorum Ps. XLVI. toto. LXXXIX. 8. 2. Cor. VI, 16. tum in intimo pectoris singulorum fidelium. Ies. LVII. 15. Joh. XIV. 23.) *sanctus Israelis. Tecum est Immanuel, semper in te operosus & efficax, semper magnus & magnificus, ex te prodit virgo eum pariens, in te habitat ille, te tuetur, te custodit, te vindicat, te defendit. Non opus habes vt auxilium quemcunque alium circumspertes, magnus satis & maximus in te est sanctus ille Israelis. Hunc sanctifica, hunc reuerere, in hoc gaude & hinni confidentissime.*
Ita

Ita plane etiam Micha, vt omnem timorem Zioni eximeret, ad praesentiam Messiae spectandam prouocauit Cap. IV, 9. cur vociferaris amicum? an rex non in te est?

(*) Ita enim equi absque omni timore gaudent de victoria in ipsa acie: nec facile animal aliquod in gaudium ac laetitiam se effusus ostendit, vt etiam patere potest ex iis quae annotauit Vlysses Aldrouandus de Quadrupedibus solidipedibus L. I. p. m. 73. seqq.

§. XLV.

Atque ita vero perspeximus, per diuinae gratiae beneficium, nexum totius huius orationis propheticae, plenissima harmonia concinissime sibi in omnibus respondentem: vt nihil plane obitare possit nostrae, imo diuinae, dicti Cap. VII, 14. 15. de Messia, virginis partu futuro, interpretationi.



O 3

CA-

CAPVT II.

CONSIDERATIO DISTINCTA
VERBORVM VATICINII JESAIÆ DE
PARTV VIRGINIS

§. I.

*Scopus
tractan-
dorum*



Accedimus invocato Spiritu veritatis, ut etiam heic nos in omnem veritatem ducat, ad investigandum curatius, quid vaticinio Jesaiano, quod considerandum suscepimus, promittatur. Nec enim satis esse nobis potest perspexisse, quod in toto contextu nihil obstet, quominus præsens oraculum exponatur de Messia, eoque tanquam virginis intemeratæ Filio nascendo: sed etiam oportet nos certiores evadere, numquid aliud etiam illis verbis possit esse indicatum, an vero verba hæc non possint, neque debeant, de quocunque alio quam de solo Messia capi, eumque ex virgine intemerata nasci debere revera asserant.

§. II.

*Signo-
rum va-
ria ge-
nera.*

Ex dictis vero id saltem repetimus, quod scopus verborum in oratione prophetica sit signum indicare, quod fidem adstantum excitet & stabiliat, *) vanida esse & irrita consilia Pekachi et Rezinis de diffindenda terra judaica & populo excindendo, & de diruenda domo Davidis: atque signum quidem tale, quod DEVS ipse daturus sit. Quæri autem hic merito poterit adhuc
de

de scopo signi hujus proximo: num videlicet illud fidem adstantium de eo saltem debuerit firmare, quod consilia Pekachi & Rezinis evanida & irrita futura sint? an vero (cum de hoc quidem dubitare non liceret) quod consilia illa evanitura sint non tam casu & sponte sua, quam ex divina operatione & potenti eorum destructione; seu quod DEVS ipse sit, qui ea sit destructurus? an vero utriusque rei fidem hoc firmare debuerit? Diversitas enim signorum oritur ex diverso scopi respectu. Ita enim quod fidem rei prædictæ saltem facit signum, præsens ex complurium sententia debet esse, saltem quomodocunque præcedere eventum vaticinii sive rem prædictam. Tale signum erat ipse Jesaias nudus & discalceatus, quod Ægyptii & Cuschitæ nudi & discalceati in captivitatem ab Assyriæ Rege forent abigendi. Jes. XX, 3. 4. Ita signum, fidem facturum divinarum adversus Judæos in Ægyptum profugos comminationum, Jerem. XLIV, 29. & 30. datur eisdem clades Pharaonis Haphra. Ita imaginaria obsidio Ezechielis, Cap. IV, 3. signum debebat esse domui Israel veræ obsidionis Hierosolymorum. Iris signum est divinæ promissionis de non diluvio perdenda terra, Genes. IX, 13. - 17. E contrario, quod divinitatem dictorum demonstrare debebat, & fidem facere, quod ipse DEVS faciat vel facturum sit, quæ ipsius nomine prædicebantur vel annuntiabantur, signum sæpe numero quidem etiam præsens datum est, quod præcesserit rem ipsam. Tale signum triplex DEVS Mosi ad Israelitas in Ægyptum mittendo dabat, quibus crederent ipsum à DEO esse missum, Exod IV, 8. & seqq. Tale Gideon sibi impetrabat, ad angelum Jehova dicens: fac mihi signum quod tu sis qui mecum loquitur, Jud. VI, 17. 21. 37. et seqq. Talia signa dabantur Sauli recens designato Regi, 1 Samuel. X, 7. Sæpe vero signa etiam huiusmodi data sunt, quæ post rem ipsam prædictam demum insequerentur, saltem
ut

ut fidem facerent, a DEO ipso illam factam esse. Ita DEVS Mofi ad Israelitas mittendo dicebat Exod. III, 12. & hoc tibi sit signum, quod ego te misi, quando eduxisti populum meum ex Ægypto, sacrificabitis DEO ad hunc montem. Ita Hiskiaë signum fidem faciens, quod Jehova ipsum sanaverit, datur, ipsam ejus sanationem consequens, in horologio Achasi, Jes XXXVIII, 7. & 22. 2 Reg XX, 8. & 9. Singulare quid observare licet in signo, quod DEVS Judæis & Hiskiaë dat 2 Reg. XIX, 29. Jes XXXVII, 30. quod non videtur in eum dare finem, ut fidem faciat DEVM ipsum perditurum esse exercitum Assyriacum (id quod etiam res ipsa satis demonstrabat) sed ut fidem faciat certissimæ internecionis exercitus illus: & tamen à futuro depromptum est: & hoc tibi sit signum, dicit, e de hoc anno quod proculcatum est (nempe ab exercitu Assyriaco) & in altero anno, quod sponte renascitur (ob annum forte Sabbathicum) in tertio anno ferite ac metite. Exercitus autem Sennacheribi citius debebatur, quam hæc evenirent. Nimirum cum apud fideles ista loqueretur Propheta, fides verbo divino hæc præcipienti habita eos convincebat, non posse igitur non antea deleri exercitum Assyriacum, quia alioqui non posset constare veritas sua huic divino mandato, si diu adhuc in terra mansurus esset exercitus, consumpturus & perditurus alioqui & proculcatum nunc, & sponte renaturum futuro anno.

* Constat omne signum eo comparatum esse, ut præter rem, quam sensibus ipsis offert, aliud quidpiam animo faciat una subvenire, sive quid incertum sit, sive certum, idque vel ex determinatione vel ob similitudinem aliquam: & ordinarie non ad fidem faciendam sisti, sed ad primam magis & ad tertiam mentis operationem, quam ad secundam pertinere. Unde non omnia signa ad fidem promissorum vel comminationum faci-

faciendam feruntur, sed plura sunt alium in finem ordinata. Sunt nimirum vel **COMMONITORIA** *de rebus præteritis*: sicut iris signum est constitutum fœderis divini post diluvium cum hominibus initi, Genes. IX, 12. 13. 17. circumcisio signum fœderis cum Abrahamæ posteris initi, Genes. XVII, 11. primogenitorum separatio signum occisorum olim Ægypti primogenitorum, Exod. XIII, 16. paschatis celebratio signum educationis ex Ægypto. ibidem, v. 9. sabbathum signum quietis divinæ à creationis operibus, Exod. XXXI, 17. & respectu Israelitarum signum sanctificationis eorum olim his diebus a DEO factæ. ibidem v. 13. Ezech. XX, 12. 20. laminæ acerrarum signum exustæ igne divino cohortis seditiosæ Korachi, Num. XVI, 39. virga Aaronis florida signum confirmati sacerdotii, Num. XVII, 10. lapides e Jordano sublatis, signum transitus olim per eum facti. Jos. IV, 6. Vel commonitoria sunt *obligationis erga DEVM*; ut ligatio legis super manum, Deut. VI, 8. tale signum etiam erat circumcisio & Sabbathum. locis citatis, vel etiam *obligationis erga hominem*, quale signum Rahab sibi impetrabat ab exploratoribus, Jos. II, 12. 18. vel commonitoria *futurorum* tum *incertorum*, qualia sunt prodigia cœli, a quibus timere prohibemur, Jerem. X, 2. tum *certorum*, ut instantis extremæ diei, Luc. XXI, 25. vel sunt signa **EXCITANTIA** & adhortatoria, quale Jonathan sibi constituebat, quo ad castra Philisteorum adorienda animaretur, si dicerent, ascendite ad nos, I. Samuel. XIV, 10. Ita Jes. XIX, 20. ara in Ægypto dicitur in signum & in testem Domino Zebaoth futura. conf. Jes. LV, 13. cap. LXVI, 19. vel sunt **ABSTERRENTIA** & dehortantia, quale erat illud in Caino constitutum divinitus, ne quis eum occideret. Genes. IV, 14. Quale sibi David in bonum expetiisse videtur adversus hostes, Ps. LXXXVI, 17. Tale in Judæis maledictiones divinæ futuræ prædicuntur, ad absterrendos alios a simili impietate. Deut. XXVIII, 46. conf. Ezech. XIV, 8. Qualia etiam erant signa acerrarum laminæ, & virga Aaronis. Num. XVI, 39. Cap. XVII, 10. Ab his signorum generibus diversa sunt illa, quæ ad **FIDEM FACIENDAM** promissionum vel comminationum divinarum, vel

P di-

divinitatis illarum data sunt, quæ ad secundam mentis operationem sive judicandi & assensum præbendi facultatem potissimum spectant. Quale hoc præsens est per Prophetam datum in partu Virginis.

§. III.

Præsens signum, partum nempe Virginis, ex illorum genere esse, quæ fidei prædictis faciendæ gratia dantur, satis constat vel ex eo, quod DEVS Cap. VII, 9. de fide sciscitatus fuerat: *annon creditis? certe non confirmabimini;* & dein offerebat optionem signi, certe ad fidem illam producendam ac stabiliendam. Lubens etiam concessero, DEVM id non egisse, ut hoc signum daret ideo, ut certos redderet Achasum & Judæos, quod ipse DEVS ille sit, qui consilia Pekachi & Rezinis dissipaturus sit, sive ut divinitatem promissi auxilii eo probaret; sed simpliciter, ut fidem faceret certitudinis promissi auxilii, ut crederent verum esse & infallibile, quod DEVS v. 7. de consiliis Pekachi & Rezinis adversus Judæos & Davidicam familiam conceptis dixerat: *non stabiliuntur & non fient.* Hoc certe quam maxime necessum habebant tunc temporis Achas & ejus familiares, cæterum perinde habentes, pro sua impietate, num per DEVM an vero per quemcunque alium consilia illa subruerentur. Nam & per Assyrium potius Regem, quam per DEVM id fieri volebant. Videtur igitur DEVS, pro superabundantissimis benignitatis suæ divitiis, condescendisse ingenio Achasi, & signum saltem indicasse, quod fidem faceret certitudini promissæ consiliorum hostilium everfionis. Saltem hic finis primarius signi huius fuisse dicendus erit. Quod enim secundario etiam ostendere voluerit DEVS eodem signo, suum hoc esse opus, suamque curam, imo honorem suum & veritatem pristinarum suarum promissionum, & æternum de salute omnium hominum consilium, id requirere, ut talia consilia adversus genus & familiam Messia inita destrueret, inficiari nemo poterit, &

Signi hujus finis, fidem facere pro missionis divinitatis

& res ipsa id satis loquitur. *) sicut etiam Propheta ideo Cap. IX, 7. subjungit: *Zelus Jehova Zebaoth hoc faciet;* Zelus nempe, quo ipse non potest non ferri ad tuendum suum honorem & æterna sua consilia. Unde & hæc ipsa verba subneſtuntur alteri illi signo supra memorato, JES. XXXVII, 32. Signum tamen hic non præſens, seu quod rem, cujus fidem faciat, antecedit, indicari, Christiani statuunt, Matthæo iis præeunte: eoque nomine quam maxime impugnantur a Judæis, quod signum tot seculis pone subsequens incongruum fuerit, ac non idoneum ad faciendam fidem certitudinis rei, ex promissione propediem exſtituræ. Ipsi tamen Judæi subinde coguntur agnoscere, signum hoc, tempore hoc quo Propheeta loqueretur, nondum extitisse, sed in futurum promitti, cum discrete dicatur: *DABIT* [D] in futuro ** *Dominus ipse vobis signum.* Saltem volunt signum illud citius evenisse, quam Rezin & Pekach perierint. Eo ipso tamen coguntur admittere, signum hic de futuro promissum, non posse filium esse prophetissæ Cap. VIII, 1. & seqq. memoratum. Hunc enim eo tempore jam natum fuisse, cum Jesaias isthæc ad Achasum loqueretur, supra clare monstravimus. Quod si vero aliud signum DEVS promississet, quam quod Christiani hic promissum agnoscunt, & quod ante Rezinis & Pekachi interitum extitisset, non potuisset non deinceps memorari, quando extiterit & quomodo fuerit impletum, quod DEVS hic dixerat: cum nisi de Messia capiatur, nimis obscure indicatum esset hoc signum, neque constaret cuiquam, num id unquam revera extiterit: cum id tamen tanquam signum perillustre eo ipso commendetur, dum dicitur: *Dabit DOMINVS vobis signum:* tanto minus igitur tacendum, quoniam ipse supremus omnium dominus, qui non nisi maxima facit, & omnibus memoranda ac celebranda, illud, etiam detrectantibus poscere signum, oggesserit, & ultro promiserit. Non potuit igitur illud signum nisi perquam magnificentissimum

Signum
tamen
non præ-
sens sed
futurum

mum, prorsusque divinum existere, neque igitur taceri potuit, sed maximopere debuit celebrari, & exponi diligentissime: minime omnium vero potuit plane non deinde exhiberi, & quo modo exhibitum praeteriri. Frustra autem iterum, & in cassum dilabentur dissentientes ad filium Prophetissae, ac si eo memorasset Jesaias exhibitum signum hic promissum. Ut enim taceam, quod obstant alia supra indicata, incongruum fuisset, Prophetam descripturum signi ante paulo promissi exhibitionem tacere jam prorsus nomen *Immanuelis*, quod partui in signum praestituto competere DEVS dixerat, & aliud plane nomen, jussu divino partui Prophetissae collatum indicare *Maher schalal Chas Bas*. Atque ita videmus Jesaiam in hoc signo describendo satis operosum se exhibuisse integra ista proluxa sua oratione, imprimis Cap. VIII, 8. & seqq. Cap. IX, 6. & 7. & Cap. XI. integro. Cum vero non Jesaiæ tempore exhibendum esset, hinc nec ille potuit memorare, quando & quomodo exhibitum fuerit: sed satis habuit indicare signate satis ac diserte, quando exhibendum esset, nempe tempore illo, quo arbor Jessaea inderamatum truncum abiisset. Idem vero DEVS, qui per Jesaiam signum hoc dare promiserat, non oblitus est tempore, quo exhibitum fuerat, indicare per Matthaeum, quod & quomodo promissum olim idem illud eminentissimum signum fuerit exhibitum.

*) Probe id notandum est, signum hoc fidem facere non tam auxilii praestandi adversus Pekachum & Rezinem, quam quod illorum consilia evanitura sint omnia, quæ adversus Judæos & Davidis domum susceperant: forte tamen etiam promissionis auxilii huius. Ex se enim Immanuel nondum natus, sed adhuc expectandus, signum saltem erat firmans fidem, quod non possit populus judaicus & familia Davidica deleri antea, quam natus existeret ille Immanuel: eo autem non obstante poterat interea populus Judaicus affligi, respublica mutari, famili-

milia regia sceptro & throno privari, & ad plebejorum conditionem redigi. Sicut & deinceps reipsa evenit. Quod vero id non nunc etiam evenire posset, id declarabat promissum divinum nunc adstantibus datum. Atque ut hujus etiam promissionis fidem faceret, constitui potuit divinitus idem Immanuel signum: Quia idem, qui promittebat, erat ipse Immanuel, DEVS cum nobis & cum populo & familia illa singulari præsentia conjunctus: qui igitur non posset non præstare, quod ipse DEVS promississet. Duplex igitur officium esset signi hujus respectu faciendæ fidei Judæorum, unum ei signo quasi naturale, *in rinfecum* & inseperabile, etiam si nulla amplius accessisset divina promissio, quod nempe populus & familia hæc deleri nequiret, antequam natus esset Immanuel: alterum *accessorium*, ex divino arbitrio nunc demum constitutum, nec ad sequiora tempora sine nova promissione extendendum, ut scilicet fidem faceret promissionis nunc factæ, quod illud Rezinis & Pekachi consilium stare non debeat, & non tantum populus ac Davidis familia non excindi, sed etiam florenti & prospero Republicæ & familiæ statui nihil debeat decedere: ut hujus fidei faciendæ gratia quam maxime DEVS nunc rem veterem & signum antiquissimum atque perpetuum constituerit tanquam novum signum novæ promissionis persuadendæ gratia.

***) Revera tamen FUTUREM hic non tam promittit actum futurum posthac, quam, ut sæpe solet tum apud Hebræos, tum etiam in aliis linguis, actum durabilem notat & diu præsentem hoc sensu: *Dominus dat vobis signum, quod sæpe dudum dedit, & perpetuum vobis esse vult.* Sic Salvator noster Judæis signum poscentibus respondebat Luc. XI, 29 *generatio hæc maligna est, signum non dabitur ei & δοθήσεται* (i. e. non datur nisi signum Jonaæ Propbeta (id vero jam dudum datum erat) & addit v. 30. *sicut enim fuit Jona signum Ninevitis; ita 'ēsai erit* (id est, perpetuo est) *etiam Filius hominis huic generationi.* Sic etiam Matth. XII, 39. Et multoties futurum in hæbræo codice per præsens latinorum esse transferendum, ex omnium grammaticorum regulis satis constat.

§. IV.

Quomodo igitur, dices, si hoc signum tam sero exstiturum erat, & multis demum seculis postea quam & Rezin & Pekach perierant, & posteaquam Achas etiam, & qui cum ipso adfuerant peroranti Jesaiæ, & ipse Jesaias, fuerant mortui, quomodo potuit tale signum fidem Achasi & reliquorum producere ac stabilire de veritate & certitudine proxime eventurorum, cum præsertim homines illi nimis existerent increduli & a veri DEI cultu alienati? Ubi quidem paucis ita respondemus, partum illum Immanuelis virgineum, eo ipso, quia futurus tandem aliquando erat, & certissime infallibiliter futurus (utpote qui si non futurus esset, omne DEI consilium irritum fuisset, omnia stupenda illa Israelitico populo exhibita miracula vana, omnes divinæ gratiæ promissiones cassæ ac fallaces, ipsa divina veritas mendacissima, & totus mundus misere periturus erat) eo ipso inquam, quia partus ille nondum factus fuerat, sed adhuc futurus & expectandus, certissimum ille erat signum, plenissimam faciens fidem certitudinis promissionis de subversione consiliorum Pekachi & Rezinis; & quo certissimum fiebet, non posse discindi populum judaicum, neque extirpari familiam regiam Davidis ab iisdem, neque a quocunque alio.* Ratio 1. quia illa tribus Juda & illa familia Davidis erat revera radix Messiæ, unde oriri debebat, inextirpabilis igitur prorsus, an equam Messias veniret; quam nequidem DEVS ipse extirpare poterat, nisi sibi ipsi adversari vellet. 2. Erat in ea ipsa tribu & in illa familia semper jam revera præsens Immanuel, cum staminibus illis & massa, ex quibus ipse tandem tempore congruo nasci volebat homo: ideoque servabat hunc populum, observabat, tuebatur, vindicabat, imo & castigabat, quotiescunque ad gentilium deliria deficere suscipiebat, ut vel saltem reliquias aliquas quæstui sibi haberet, ex quibus & cum quibus homo aliquando factus existeret. Vnde tam potentem sui assertorem & statorem

torem

torem cum sibi intime præsentem haberet, non poterat prorsus perire populus iste, & isthæc familia, cum nemo esset tam potens, qui adversus DEVM cum ipsis existentem, adversus Immanuelem, posset stare, nedum prævalere. 3.) Quia hunc ipsum Immanuelem semper secum habebant, semper erat in ipsorum manu quasi & integra potestate, tutos se ab omnibus hostibus præstare, omnes hostes vincere, & florentissimum sibi servare regnum & reipublicæ statum, ac præ omnibus terræ populis eminentissimum, ut tuto & Rezinem & Pekachum, & Assurem & totius mundi copias adversus se insurgentes possent contemnere & ridere, modo ad illum suum Immanuelem se vera quoque fiducia religatos tenerent, vel, ubi peccatis ab eo recessissent, sincera pœnitentia mox ad ipsum reveterentur. Hanc rationem mireris interpretes minime attendisse, cum tamen prægnantissima sit, & vel sola efficacissima ad demonstrandam signi hujus idoneitatem & abundantissimam sufficientiam ad generandam fidem certitudinis promissæ everfionis consiliorum Pekachi & Rezinis, ad eximendum omnem metum; quod hostes illi non tantum non valerent prorsus discindere & extirpare populum ac familiam isthanc, sed nequidem affigere, atterere, & deramare quasi ac dehonestare. Habebant ejus rei disertissimas promissiones ipsi Davidi factas Ps CXXXII, 12. & Salomoni 2. Chronic VII, 18 & exempla illustrissima in historia Abiæ, Assæ, Josaphati, aliorumque. Et dubio procul nunquam interiisset etiam mundanum Davidicæ domus imperium, nisi ipsa ab Immanuele suo turpiter defecisset. Quod vero de Achasi & familiarium ejus incredulitate atque idololatria monitum fuit: putandum nunquam est, quemquam regum Judaicorum adeo descivisse a veri DEI & promissionum ejus notitia, ut omnem Messæ expectationem abjiceret: sed id semper, exemplo turpi Salomonis inducti, agebant, ut conciliationem
pro-

profanarum religionum eum cultu patrio susciperent. Satis enim altas radices in animis tribus Judæ, & imprimis familiæ regiæ egerat promissio Messiaë, in qua omne suæ præ aliis tribubus & familiis, imo præ omnibus terræ gentibus, prærogativæ & celsitudinis fundamentum & firmamentum erat: quam si sprevisset aut rejecisset Reges Judaici, nihil habuissent, quo averterent, quin idem ipsis eveniret, quod Regibus decem tribuum, ut nunc ex hac nunc ex alia familia Rex fuisset constitutus. Satis igitur confidenter & efficaciter DEVS Messiam expectandum poterat etiam ipsi Achaso, quantumcunque forte jamdum ad idololatriam dilapso, in signum constituere certitudinis conservationis suæ adversus Rezinem & Pekachum, atque everfionis consiliorum hostilium.

* Consentit nobis Lightfootus, cujus sententiam Gussenius in Vesperis Grœninganis p. 453. ita repræsentat: certiorum factum fuisse Achasum de regni judaici incolumitate, & de salute Davidicæ domus, hoc signo, non perituram esse nempe domum Davidicam, antequam visa fuisset virgo, inter alias virgines eminens, mater Filii a se absque ulla viri opera geniti. Quod signum jam erat, & futurum erat præsens usque ad partum Virginis: quia signum illud erat, non perituram domum Davidicam, quin prius virgo peperisset.

§. V.

Verba
vaticinii
singula
expen-
duntur
ECCE

Est igitur signum plenam fidem certitudinis promissionis divinæ Achaso & reliquis factæ faciens, virgo pariens illa, & quidem paritura Immanuelem. Ita enim DEVS ipse illud indicat. Et quidem præmissa particula attentionem provocante הנה ECCE. quam divinarum literarum interpretes merito asteriscum Spiritus sancti appellant. Illa sua natura rem quasi præsentem sistit oculis & sensibus, tum corporis, ut Jos, IX, 12. 1. Samuel. IX,

IX,

IX, 25. Genes. I, 29. Exod. XXIV, 8. Num. XIV, 40. tum animi Exod. XXXIV, 10. Ps. CXXXIII, 1. Kohel. V, 17. quo respectu tum de rebus præteritis adhibetur, Num. XVIII, 6. & 8. 1 Samuel XXVIII, 7. tum de futuris Genes. XVIII, 10. Exod. XXII, 34. ecce angelus meus ibit ante te. Genes. VI, 17: ecce ego adduco diluvium. 2. Reg. VII, 2: ecce tu visurus es oculis tuis, sed exinde non comedes. Jerem. XXX, 10: ecce ego salvans te e longinquo. Ps. XL, 18. ecce venio, in volumine libri scriptum est &c. In quibus simul certitudinem connotare observatur. Vanum itaque omnino est commentum quorundam, quod hæc particula non nisi de rebus actu & tempore præsentibus adhibeatur: ut vel sic obtineant, non posse in hoc nostro loco rem tam sero exstituram indicari, quia particula ecce præmittatur. Vidimus enim etiam de satis sero exstituris eandem adhibitam. conf. Jerem. XXIII, 5. Cap. XXXI, 31. Zach. IX, 9. Siftitur tamen hic partus ille virgineus, licet post multa sæcula exstiturus, revera tanquam res præsens & coram quasi conspicua, cum ille, toties jam & vel sexcenties promissus, res esset omnibus cognitissima, & vulgatissima omnium sermone, & expectatione omnium quotidie expetita & expetenda.

§. VI.

De vocabulo quod sequitur *הַעַלְמָה* lis cum Judæis maxima nobis hoc loco intercedit; tum quod ejus grammaticum significatum attinet, tum quod attinet personam, quam illud designet. Contendunt ipsi vocabulum hoc significatu suo notare adolescentulam, sive illa nupta sive innupta existat. Ipsa tamen adolescentula quænam sit, multis modis inter seipsos dissident, nec potuerunt in hunc usque diem aliquam indicare, de qua plenam fidem facere possent, vel suismet contribulibus, quod de ipsa propheticus sermo agat. Nostri e contrario in-

Signifi-
catus vo-
cabuli
הַעַלְמָה

Q

fini-

finities adversus Judæos monstraverunt, verum significatum vocabuli עַלְמָה tum ratione etymi, tum ratione usus in sacro codice, non nisi adolescentulam innuptam, & incorruptam VIRGINEM notare. Descendit enim ratione etymi a radice inusitata עַלְמָה ejus significatus est, ut ex residuis in Niphil, Hiphil, & Hithpaël patet, absconsonem, latitationem, occultationem indicare. Vnde עַלְמָה erit adolescentula latitans, occultata in ædibus parentum, *) neque nuptum propalam educata, adeoque *virgo* adhuc integra & *intemerata*. Quo referunt morem Judæorum, ut & aliarum gentium, occultandi virgines, quæ ideo 2. Maccabæor: III, 19 αἰκατάκλειστοι *inclusæ* appellantur. Egregie autem doctissimus Guffetius animadvertit עַלְמָה non saltem ratione occultationis in domo parentum virginem incorruptam vocari, sed *sic dicitur*, inquit, **) *in antitbesi ad actum quem designant per אִישׁ לֹא גִלָּה עֲרוּתָהּ*, & eo quod אִישׁ לֹא גִלָּה עֲרוּתָהּ *vir non relexit pudorem ejus*. Oppositio sane, pergit, *nomini illius עַלְמָה & phrasi bujus אִישׁ לֹא גִלָּה עֲרוּתָהּ* relectio nuditatis sive pudoris, ita *hebraismum merum sapit, ita rei essentiam petit, mentique satisfacit, ut omnes alias pessundet, & nulla alia demonstratione, quam proprio pondere suo firmari indigeat*. Qua in re nemo quisquam assensum Guffetio facile negare poterit. Accedit, quod nisi עַלְמָה virginem integram notet, lingua hebræa destitueretur revera vocabulo virginem viro incognitam notante. Nam בְּתוּלָה quod alias Judæi ad virginem designandam integram adhibent, non videtur antiquitus, nisi de viragine casta (***) sive innupta sive etiam nupta fuisse adhibitum. Certe Joel I, 8 non nisi de maritata & jam vidua commode poterit explicari, ubi DEVS dicit: *ejula sicut בְּתוּלָה virago, accincta sacco propter dominum adolescentie ejus*: nam Dominus adolescentie maritus passim dicitur. Vid Prov. II, 17. Jerem. III, 4. quemadmodum etiam ecclesia V. Testa-

Testa-

Testamenti sæpius vocatur *virago Israel*, quæ tamen tanquam DEO maritata conjux semper sistitur. Atque ita etiam revera usus hujus vocabuli *עַלְמָה* in sacris literis comprobatur nostram sententiam, ex quo quam maxime verus vocabuli alicujus significatus semper est determinandus. Septies saltem occurrit. Nimirum præter nostrum locum exhibet illud vocabulum sacer codex, in singulari quidem, Genes. XXIV, 43. ubi de Rebecca haud dubie integra virgine dicitur. Exod II, 8. ubi de Mirjam sorore Mosis, adolescentula omnino incorrupta. Prov. XXX, 19. ubi vir sapiens dicit: tria ista sunt mirabilissima mihi, & quatuor non novi ista, viam aquilæ in cælo, viam serpentis super rupem, viam naviculæ in corde maris, & viam viri in virgine. In plurali vero Ps. LXVIII, 26. ubi dicitur: præcedunt cantores, postea citharæli, in medio virginum tympanizantium. Et Cantici I, 3: tanquam oleo effunderis nomine tuo, ideo virgines amant te. Et Cant VI, 8: sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & virginum non est numerus. Nec habent Judæi de ullo istorum locorum, quod obvertant, quominus de virginibus integris dici vocabulum illic putetur, nisi quod Prov. XXX, 19 contendat, de virgine corrupta sermonem esse: nullo tamen adducto vel verosimili argumento. Tametsi enim verba sapientis Aguris capias sine tropo in proprio significato, non tamen sequitur, quod via viri in virgine non possit nisi in corrupta esse, imo ne quidem quod eam semper corrumpat, licet forte corrumpere tentet, sicut nec via aquilæ cælum corrumpit, nec via serpentis rupem, nec via naviculæ mare. Quod enim de via adulteræ subjungit Agur, næ illud æque parum potest evincere in præcedentibus de virgine corrupta sermonem fuisse, quam parum evincit de corrupto cælo & corrupta rupe, atque corrupto mari ibi dici. Quod vero dicunt id mirabile visum viro sapienti, quod omnes illæ viæ imper-

vesti-

Q 2

vestigabiles existant, nec ulla relinquunt vestigia: profecto eo magistri illi Israelis nimis vestigabilem, imo palpabilem & crassissimam produnt insaniam, quod persuadere sibi possint viro sapienti unquam curæ esse posse, vestigia illarum rerum quærere. Et sane mireris inter Christianos etiam viros apprimè doctos aliquos, nimium condescendendo, Judæos hic sequi voluisse. Cur vero non æque passeris viam quam aquilæ in cœlo miraretur, cum adhuc minus vestigii relinquat? & cur non æque rupicapræ quam serpentis in rupe? & æque halecis vel anguillæ in mari, quam navis? Et cur non, quod etiam proverbio dicitur, pulicum vestigia metiri curabit? Vix desidiosæ & deliræ aniculæ in mentem veniret investigare talia: viri sapientis curam nunquam poterunt sollicitare. Quin potius sublimiora longe Agurem animo voluisse, mihi extra dubium est. Et vide quæso, annon *aquilam* intelligat eandem, quæ Exod XIX, 4. Deut. XXXII, 11. memoratur, nempe DEVM Salvatorem Israelis? conf. Mich. II, 13. Jes. LII, 13. Ps. LXVIII, 19. Genes. XLIX, 9. *Serpentem* non alium intelligere videtur, quam antiquum illum, Genes. III, & *rupem* non aliam quam illam de qua Deut. XXXII, 4 15. 18. 31. de qua David. Ps. XVIII, 32: quis est rupes nisi tantum DEVS noster? illa nempe rupes salutis contritura caput serpentis illius, qui tamen miris utique viis insidiabitur illi, & DEI hujus nostri Immanuelis calcaneum conteret, juxta Genes. III, 15 quarum mirandarum & prorsus stupendarum hujus serpentis in hac rupe viarum specimen exhibetur Matth. IV, 3. & seqq. *Naviculam* autem non aliam puto indigitatam, quam illam, cujus typus fuit arca Noæ. navis antiquissima, nempe ecclesiam veram: *mare* autem illud de quo Jes. LVII, 20: & impii sunt sicut mare tempestuosum, quod quiescere non potest. conf. Ps. CX, 2. Atque ita *virgo* Aguri non alia erit, quam illa mater Messia, mulier illa cujus semen Messias erit

erit

erit, contriturus caput serpentis, de qua in antiquissimo Evangelio Genes. III, 15. quæ nonnisi virgo esse potest, quia vir ex ea pronascendus nonnisi mulieris semen, non simul semen maris erit. Atque hic ipse est vir ille, de quo Agur quærit, merito καὶ ἐξοχὴν dictus אָדָם, unus ille Adam ex omnibus hominum millibus, Kohel VII, 28. qui etiam Deus אֱלֹהִים dicitur Jes IX, 6. Cap. X, 21. Via ejus est modus fiendi homo. conf. Kohel. XI, 5. *) Hæ sunt vere mirabilissimæ & ignotæ nobis viæ. Et quod de via adulteræ adjicit Agur, vere illa mirabilis est (sive revera intelligatur mulier mariti sui torum inquinans, sive ipsa impietas & stultitia) utpote a qua via ut quis tandem sibi cavere possit, Salomo toties indefessum sapientiæ studium commendat, Prov. II, 10. 11. 16. & sqq. Cap. V, 1. - 8. VI, 23. 24. Cap. VII, 4. & sqq. Cap. IX. 13. & sqq. conf. Cap. XXII, 14. Cap. XXIII, 26. & 27. Patet igitur, certissimum & irrefragabile prorsus esse, quod vocabulum אֵלֶּמָה notet tum ratione etymi, tum ratione usus in sacro codice, virginem integram & incorruptam.

*) Ita Hieronymus ad hunc locum scribit: אֵלֶּמָה non solum puella vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit.

**) In Commentariis linguæ Hebraicæ, in אֵלֶּמָה. D. p. 608. b. Idem jam animadvertisse fere observes Raymundum Martini, in Pugione fidei, Part. 3 distinct 3 Cap. VII, § 1. p. m. 738, ubi scribit: אֵלֶּמָה illam olim significabat virginem, quæ pudorem suæ virginitatis & claustra celans & occultans, nulli unquam ea exposuerat, nullique revelaverat homini, & erat sancta & integra mente & corpore. Et paulo post concludit: hoc nomen in Esaia puellam sanctam ac virginem, quæ claustra sui pudoris celaverit & oc-

Q 3

cul-

cultaverit a viris, oportet significare. Plures hujus sententiæ statores annotatos invenies in Dissert. Danziana de Partu Virginis miraculoso, pag. 73. ad §. 45. Approbat eandem Johannes Marckius in dissertationibus Philologico-exegeticis, exercitatione XV, §. 6. p. 486. Et sic etiam Flacius in Clave, vocabulo *Alma*, p. m. 30. duplici ratione Alma sive virginem absconditam dici notavit, 1.) quia moris fuerit virgines occultari domi, ut sic tanto certius earum pudicitia custodiretur. quod etiam Phocylidis monito probat. 2.) quia contra maritalitatis cognosci a viro & cognoscere virum dicuntur, item quia earum nuditas a marito detegi ac revelari seu patefieri dicitur.

***) Etiam *vitiatam* appellari *בְּהוּלָהּ* Deut. XXII, 19. annotavit Johannes Hoornbeck, libro 3. Pro convincendis & convertendis Judæis, Cap. I, p. 225. conferantur etiam Joh. Marckii Dissertationes Philologico-exegeticæ, loco citato p. 485.

*) Aliter paulo has vias, nec ineleganter, de solo Christo omnes interpretatur Raymundus Martini in Pugione fidei, part 3. distinct. 3. Cap. VII, §. 2. 3. p. m. 739. sq.

§. VII.

*Virginis
persona*

Quænam vero sit illa virgo, si a Judæis quæsieris, illi sibi minime constant, aliis uxorem Jesaiæ, aliis matrem Hiskiaë nominantibus. Quæ tamen quominus intelligi queant, non tantum obstat, quod illæ nequaquam virginis nomen suscipere possint, sed etiam totus Prophetæ contextus refragatur, & imprimis quod nec filius Jesaiæ, neque Hiskias Immanuelis nomen ferre possint. De qua re cum toties abundantissime a nostris doctoribus adversus Judæos suscepta fuerit demonstratio, non opus erit, ut eorum dicta hic repetamus, cum præsertim non possit facile quispiam eo abduci, ut quamcunque illarum mulierum, quas Judæi indignant, cer-
to

to queat credere esse illam עלמה hic indicatam; atque absolute tamen necessarium est, ut de tali Alma sive virgine sermo sit, quæ minime sit obscura, sed quæ potius omnibus notissima existat, quoniam cum illa signum a DEO ipso datum esse deberet, non potuit res ignota signum illud constitui, ut paulo ante ostendimus. *) Idemque monstravimus particulam *ecce* cogere, ut agnoscamus, virginem illam quasi oculis omnium eo ipso fuisse propositam. Id ipsum etiam articulus ה voci עלמה præmissus evincit. qui certe hic non potest indefinitus existere, & individuum vagum, quod dici solet, indicare. Sed haud dubie demonstrativum hic est, & quod emphaticum dici suevit, istud ה quoque hebræi הההע appellant, quodque sua natura indicat rem **) cognitam sive ex præcedentibus, sive jam ante vulgo & communiter omnibus manifestam. Cum vero hoc loco in præcedentibus nulla virginis alicuius mentio facta fuerit, sequitur, ut articulus hic eam tanquam satis omnibus cognitam & in vulgus omnibus notam venditet: *ecce illa vi go pariens*, quam omnes nostis, quam omnes expectatis, quæ toties promissa est, illa Immanuelem ut nostis paritura, illa ipsa vobis signum esto. Quodsi aliam indigitatam fuisse contenderint Judæi, indicent, quænam illa fuerit, adeo nota, ut sine addito alio indicio illa potuerit per ה demonstrativum & particulam *ecce* satis omnibus indicata & descripta ac determinata existere, præsertim, cum Jesaias loqueretur in loco, ubi nulla foemina auditoribus adfuisse videtur (licet, si qua etiam adfuisset, non potuisset tamen reticere prorsus nomen ejus, quin saltem tanquam in parenthesis addidisset: Aderat autem cum Ahaso hæc vel illa vel ista) prorsus enim necessarium est, ut illa, quæ signum esse debebat, ita manifeste sisteretur, ut nemini dubium esset quænam illa esset. Quodsi quis obverterit, probandum esse, quod

res

res tam cognita tunc inter Judæos exstiterit, Virgo paritura Immanuelem vel Messiam: respondeo, si vel id ex nullo alio argumento constiterit, satis id vel hoc ipso præsentī nostro loco manifestum esse, eo ipso, quia nulla alia foemina, quæ pepererit Immanuelem aliquem, indicari potest, quam mater Messiae; quia etiam nulli alii quam Messiae nomen Immanuelis congruit; quia non potuit res quædam convenientior a DEO in signum constitui Achasō, quam ipse Messias; quia signum tam illustre & excellens, videlicet quod ipse DEVS se daturum promittebat, non potuit taceri quodnam esset, nisi jam satis omnibus cognita res illud existeret; quia hæc ipsa res in signum constituta & particula *ecce*, & articulo emphatico η tanquam satis cognita manifeste venditatur. Interim non desunt tamen alia etiam argumenta, quæ id satis persuadent omnibus, satis cognitam rem fuisse eo tempore illud, quod nos Christiani hic in signum constitutum fuisse contendimus. Demus enim tantisper, quod η מַלְּחָמָה significet adolescentulam, sive sine viri congressu sive ex ordinario congressu maritali imprægnatam, atque sic non id respiciamus, an præcise virgo integra dicenda sit mater Messiae: negare tamen non poterit ullus Judæorum, rem omnibus cognitissimam etiam illo Achasī tempore fuisse Messiam, ut adeo non potuerit isthæc η מַלְּחָמָה pariens, in signum constituta, signare ullam personam magis omnibus perspectam, quam matrem Messiae, quem omnes tam diu tam attento desiderio expectabant, cujus ipsum nomen Immanuel omnes monebat, de qua foemina sermo sit, & cujus mentio sola vel unico verbulo facta non poterat non aptissima, efficacissima, & sufficientissima esse ad eximendum omnem metum de reipublicæ tribusque Judaicæ ac de domus Davidicæ everfione: cum omnes nossent, quot divinis promissionibus illius expectatio toties eis commendata, uti tribus Juda propter illum ab ipso communi parente & Patriarcha

archa

archa Jacobo super reliquas tribus evecta; uti propter illum regia dignitas in domo Davidica huc usque conservata; quot item quantisque miraculis D E V S propter illum toties conservaverit hunc populum: ut igitur non posset non ille signum existere convincentissimum, quod hic populus & hæc familia prorsus non possit perire, quamdiu adhuc partum illum expectent, eumque vera fide invocent tanquam suum Immanuelem, hoc est, tanquam D E V M illum cum ipsismodo peculiarissimo existentem. Id enim utique non videtur negandum, quod mater Immanuelis hic non tanquam Virgo intemerata in conceptu & partu existens in signum constituatur, sed simpliciter tanquam mater Messiae sive Immanuelis, non attento præcise, sive e maritali congressu, sive citra eundem, illum conciperet ac pareret. Et non necessarium existimo, ex ratione signi colligere, quod conceptio & partus Messiae miraculose fieri debuerit in matre virgine. ***) Cæterum non fuisse insolitum ad matrem Messiae expectandam ablegare, patet etiam ex Mich. V, 2. ubi dicitur: *ex constituto tradet eos, nempe egressurus ex Bethlehem imperator Israelis, usque ad tempus, quo יוֹלְדָה יְלֵדָה PARIENS peperit, ubi de Messia ejusque matre sermonem esse, ipsi Judæorum magistri *) agnoscere videntur; certe, cum versum præcedentem de Messia agere agnoscant, inficiari non poterunt. Nimirum, cum de mulieris semine prima fuerit promissio, sæpius etiam mulierem illam Prophetæ parientem nuncupasse videntur. Interim tamen manet verissimum quod Jesaias hoc loco per illud הָעַלְמָה simul indicet, quod mater Immanuelis virgo integra futura sit. Atque licet illud eo tempore cognitum fuisse, ut probemus, ratione scopi nostri necessarium non sit, cum sufficiat nobis demonstrasse, quod non de alia quam de matre Messiae hic sermo sit, quam*

R omnes

omnes non minus ac Messiam expectabant: non tamen difficile est, etiam illud probare, quod & hoc illo tempore fuerit cognitissimum: idque imprimis ex eo quod hoc loco illa Mater simpliciter nomine *הַעַלְמָה* indigetur. Accedit autem, quod & in primo Evangelio Messias dictus fuerit semen mulieris. Unde non poterat non illud colligi, quod igitur mulier illum paritura sine femine viri conceptura illum foret, adeoque virgo integra in conceptione & partu futura sit. Idem ipsis ex allegato loca Prov. XXX, 19. de via viri in virgine potuit cognitum esse; ut ad illam ipsam Aguris *הַעַלְמָה* virginem respexisse Jesaiam non temere sentiamus. Sic Raimundus Martinii **) concludit: *merito itaque de matre Domini nostri Christi dicit Esaias, ecce baalmah virgo concipiet & pariet, cum articulo, tanquam de nota, & de qua jam Salamo in hunc modum fecerat mentionem.* Plura etiam antiquorum Judæorum loca, agnoscentium quod Messias ex virgine integra nasci debeat, collegit, præter laudatum supra Cap. I, celeberrimum nostrum Dantzius, Josephus de Voisfin ***) in observationibus in proœmium Pugionis fidei Raimundi Martini, pag. m. 154. & sqq. Accedit, quod etiam chaldæi interpretes Onkelos & Jonathan vocabulum *הַעַלְמָה* hoc loco interpretentur *virgo*, & septuaginta interpretes idem reddiderint græce *ἡ παρθένος*, quod non nisi virginem integram *) significat.

*) Prorsus enim necessarium est, ut signum sit notius re signata, & ea, cujus fidem facere, & confirmare expectationem debet.

**) Bene Christianus Noldius in annotationibus ad concordantias Particularum Ebræo chaldaicarum, p. m. 948. a. editionis Hafniensis, *observant*, scribit, *notare articulum הַעַלְמָה quod cognitum est vel COMMVNITER vel EX INDICATIONE. וְהַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ Cælum & terra, que omnes novimus, Genes.*

Genes. I, 1. Et prius legitur אור, tunc הָאֵוֶר Genes. I, 3. & 4. Prius שבת, tunc השבת Exod. XVI, 23. & 26. et Cap. XX, 8. Prius המון, tunc ההמון Daniel. XI, 11. 12. Sic Raymundus Martini in Pugione Fidei, part. 3. distinct 3. Cap. VII, §. I. p. 738. *litera ה saepe apud Hebraeos additur iis quae nota sunt, vel de quibus jam facta est aliqua mentio. Sicut apud Hispanos cum de notis, vel de illis, de quibus jam sermo praecessit, loquuntur, addunt nomini masculino lo & feminino la. Ut la cappa, la casa, lo ben, lo mal.*

***) Certum tamen est, non potuisse in signum constitui ordinarium nudi & meri hominis partum, cum DEVS ipse esset, qui hoc signum constituebat, & cum si partus meri hominis hoc loco pro signo esset allegatus, manifesto, imo & merito auditorum ludibrio expositus fuisset Jesaias. Uti pluribus monstrat Wagenfeilius ad Tela ignea Satanæ p. 384. addens: *evolvamus universas sacras literas, non uspiam reperiemus DEI de prodigio promissionem in eam rem evadere, quam ordinariam esse homines calumniari possent.* Atque certe Messiae Immanuelis partum in signum constituere, erat prodigium prodigiorum maximum in signum constituere.

*) MASSECHET SANHEDRIM, distinctione CHELECK: *dixit Rabbi Juda, non veniet Filius David, id est Messias, donec extenderit se regnum iniquitatis.* Glossa Rabbi Salomo: *Romanum, super totum Israel novem mensibus, sicut dictum est Mich. V, 2, propterea dabit eos, usque in tempus quo parturiens parit.* Ric in libro Ioma, distinct: *Schibbat jamim, allegante Raymundo Martinio in Pugione fidei, Part, 2. Cap. X, §. 4. p. 396. & sqq. Equidem videri potest, mens Raschii saltem esse, ad tempus parturientis cujuscunque respici, non vero ipsam parturientem. sed notat D. Hœpfnerus in commentario anecdoto, allegato apud Calovium in Bibliis Illustratis, ad Mich. V, 3. p. 861. b. de virgineo partu hic sermonem esse, recte colligit Rabbi Salomo exinde, quod mariti nulla fiat mentio. Certe non tam de tempore gravidæ sermo est, (ut nullius momenti sit illud de novem mensibus commentum) sed*

R.2

de

de tempore parientis: neque dicitur, *tradit eos tanto tempore, quanto mulier gravida est, sed tradit eos usque ad tempus quo pariens peperit.* Neque de traditione in potestatem Romanorum saltem est sermo, sed de traditione potissimum in manus Assyrii, de qua etiam Jesaias in his capitibus loquitur.

**) Loco citato, part. 3, distinctione 3. Cap. VII, §. 3. p. m. 740.

***) Disertissimus imprimis locus est Rabbi Mosis Hardan, ibidem allegatus: *Redemptor quem suscitabo e vobis, non habebit patrem, juxta illud Zach. VI, 12. ecce vir, germen nomen ejus, & subter se germinabit. Similiter Jes. LIII, & ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra siccanti. Sic etiam de eo ait David Psalm. CX, 3. ex utero tanquam ex aurora tibi ros natiuitas tua &c.* Dictum Midrasch Rabboth, quod Messias ex loco alio sit proditurus, prolixè expendit Wagenfeilius ad Tela Ignea satanæ, p. 445 & sqq. videatur imprimis p. 452. Adjici forte posset prolatis a Wagenfeilio, quod DEVS ipse etiam **מקום** locus Rabbinis dicatur.

*) Confer Gussatii Vesperas Groninganus, p. 440. ubi eam in rem Theocriti versiculum allegat, ex Idyllio ultimo, *παρθένος ἐνθα βέβηκε, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀπεψῶ.* Conf. Tzezes in Hesiodum. Inde & Irenæus libr. 3. Cap. XXIV, illam septuagintaviralem versionem, tanquam ab ipsis Judæis diu ante tempora adventus Domini nostri JESV Christi factam, præferendam urget versioni Theodotionis, Symmachi, & Aquilæ.

§. VIII.

Gravida & pariens Filium Additur autem, quod illa virgo sit GRAVIDA ET PARIENS FILIUM. Vocabulum **הרה** est nomen a radice **הרה** *concepit*, & notat gravidam ac prænantem, quæ concepit utero embryonem. De quo nulla est controversia. Inde vero etiam quod additur **יולדת בן** (quod est participium Benoni foemininum a **יולד** *peperit*) nominis naturam induit, ut sæpe solent participia. Errant autem

tem

tem, qui exinde, quod virgo hæc jam tum tanquam gravida & pariens designatur, inferre volunt, non posse eam esse matrem Messiae, quæ tot seculis postea demum gravida & pariens exstiterit, sed debuisse necessario eam exstitisse jam tum aliquam gravidam & parientem. Nam & Raschi Judæus ad hunc locum notat: vox הרה est futuræ significationis, quemadmodum invenimus in uxore Manoach, ubi dicit ad eam Angelus, ecce tu הרה gravida eris, sive imprægnaberis, Jud. XIII, 5. 7. Et sic etiam Genes. XVII, 19 dum DEVS Abrahæ Isaacum promittit, dicit: Sara uxor tua יולדת pariens tibi Filium, id est, paritura est. Atque sic etiam septuaginta interpretes verba ebræa transtulerunt: ἢ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται καὶ ἰέξεται υἱόν, in utero concipiet & pariet filium. *) Verum tamen non opus etiam est, ut de eo solliciti simus, quomodo hæc de partu tot sæculis post exstituro dici queant. Sistitur enim mater ista virgo tanquam præsens, sicut nunc signum ea debeat existere domui Davidis. Et probe videtur notantum esse in propositione prophetica, quod illud הרה & יולדת non constituat ejus prædicatum (nisi quando latentes etiam in eo propositiones evolvuntur: sicut ideo Matthæus exhibuit propositionem evolutam, cum præcedentia repetere verba scopus Matthæi non requireret) sed ad subiectum pertinent: prædicatum autem ex præcedentibus repetendum est, ita: ecce virgo illa gravida & pariens est signum illud, quod Dominus vobis dabit. Sicut autem virgo illa gravida & pariens res est paradoxa; mirabilis prorsus, & naturæ rerum incognita: ita videmus etiam ex eo, quod tanto confidentius ea potuerit omnibus in signum constitui, tanquam res eis jam satis nota: licet, qui Prophetæ adstabant, homines essent increduli, & in veræ fidei doctrina non satis stabiles; cum etiam apud obliviosos res paradoxæ

vel semel saltem atque iterum olim memoratæ, memoria firmiter hæreant. Hoc igitur dicitur: ecce virgo illa gravida & pariens filium, toties vobis inde a mundi exordio promissa, quam toties vobis prædictam & prædicatam inde a teneris admirabundi audivistis, illa vobis signum esto.

*) Coeterum, quod vocabulum בן attinet, bene Johannes Marckius Dissertationum Philologico-exegeticarum Exercitat: XV, §. 7. p. 489. scribit: *ex nudo nomine בן Filii, quod ad matrem parientem suam habet respectum, minus solide colligere deprehenditur Iacobus Altingius, hunc fore Filium DEI, collato Iesaiæ IX, 5. Ps. II, 7. & 12. Ps. LXXX, 16. Prov. XXX, 4. de quo tamen per contextum heic datur cogitandi occasio iusta.*

§. IX.

Et vocans

Quod sequitur vocabulum וְקָרָא variis obnoxium est interpretationibus. Potest enim tertia foemina esse, uti monstratur in celeberrimo Dantzii Literatore, § 42. Obs. 2. & in ejusdem Dissert: ad hunc locum, p. 128. Alias hac facie esset secunda foemina præteriti קָרָא , quo pacto sermo flecteretur ad virginem illam, & diceretur: & VOCABIS tu o virgo nomen ejus Immanuel. *) Præstat tamen forte vocabulum illud accipere tanquam participium foemininum: ita enim consentit cum duobus præmissis vocabulis, ut dicatur: ecce virgo illa gravida & pariens Filium ET VOCANS nomen ejus Immanuel, illa vobis signum esto. Et annotavit Bohlius **) ipsum Aben Esram probasse, quod talis forma in participio foeminino usitata sit, ex Exod. V, 16. וְהָיָה & peccans est sive peccatrix multitudo tua, sive populus tuus tanquam peccans habetur. Ubi tamen non irrefragabile est, participium foemininum id esse, cum genius linguæ non repugnet, quin vox illa hic nomen sit, & dicatur

tur

tur populus haberi, ac si totus ipse peccatum sit. Verum tamen addit Bohlius, idem etiam ex Genesi & aliis locis ^{***}) fat conspicuum evadere. Ex eo autem, quod foeminae tribuitur actus agnominandi filium suum, non incongrue notant interpretes alii argumentum suppeditari, quod pater filio non sit futurus. Licet enim exempla prostant in sacro codice non pauca impositorum liberis a matribus nominum, certum tamen est, ordinarium id munus fuisse patrum, atque ideo DEVS isthac proponens de patre potius dicturus fuisset, quod ille filium hunc vocaturus sit Immanuel, quam id matri tribuisset, si patrem filii hujus aliquem agnovisset. Atque hoc ut argumentum elideret forte. *) Abarbenel, asseruit vocabulum וְקָרָאתָ esse secundam masculinam, & Achasum respicere: *converit se ad Achasum, inquit, & vocabis nomen ejus. atque Thau illud est secundae personae non Thau foemininum.* Et optarem, ut id probatum plenius ivisset, posse sub hac facie vocabulum existere secundam masculinam numeri singularis. forte in mente habuit, quod saepius forma talis, sine addita vocali masculini indice, tamen masculina sit. Uti ipsum וְקָרָאתָ pro וְקָרָאתָ saepius. v. g. Deut. V, 27. Sic Ps. XVI, 2. וְקָרָאתָ pro וְקָרָאתָ dixisti. cujusmodi exempla grammatici alias potius ad enallagen solent referre, quam ut Thau secundae personae a Thau foeminino discernant. Certe non tam ad Achasum, quam ad totam domum Davidis illud וְקָרָאתָ pertineret, ad quam sermo hic directus est, diceretque DEVS, non tam quid factura sit domus Davidis, sed quid faciat ac dudum fecerit: *atque tu o domus Davidis ipsa vocas, appellas & invocas toties nomen ejus Filii virginei Immanuel.* tu ipsa nomine illo, quo eius quotidie in sermonibus tuis, imo & in precibus mentionem facis, testaris eum esse DEVM nobiscum: cur ergo non in illo signum capis, non posse te excindi, cum ipsum tecum habeas, & expectes, & in eo quem confite-

fite-

fiteris tanquam DEVM nobiscum, qui nos destituere nequeat, sed invocantibus vera fiducia opem ferre paratus sit adversus omnes hostes, fiduciam ponis? atque videtur certe huic interpretationi, quod ad domum Davidis nempe dicatur, *& vocabis nomen ejus*, non tantum favere לֹא־נִי־לִי LXX, translatio, καὶ καλέσεις, sed multo etiam magis, quod Matthæus id transtulerit καὶ καλέσῃσι & *vocabunt*; in plurali appositissime efferens, quod de domo Davidis plures complectente dictum fuerat. Constat etiam verbum נִקָּרַע sæpe invocandi significatum obtinere, etiam cum ׀ִׁׂ constructum, præsertim **) interveniente præfixo ׀ verbi gratia Es XII, 14. Psalmi CV, 1. 1. Chronic. XVI, 8. Joel. III, 5. Ps. LXXIX, 6. Jerem. X, 25. Hoc loco tamen primum & vulgarem suum significatum quam maxime servat, quo est *vocare*, ut docet Matthæi allegatio.

*) Ita occurrit hoc vocabulum Genes. XVI, 11, ubi angelus Jehova ad Hagarem dicit: ecce te gravidam, & paries filium, & vocabis יִשְׂמָאֵל nomen ejus Ismael.

**) Commentario ad orationem tertiam Jesaiæ. p. 65. Sed & Zacharias Grapius, senior, in dissert: de conceptione & nativitate temporali Messiae, Witteb. præside D. Joh. Deutschmanno 1664. habita, sect. I. membr. 2. artic. 3. §. 1. Aben-Esra etiam Raschium jungit, tanquam tempus infinitum & quidem participium hic statuentem, Apud Aben Esram tamen nihil tale comparere, animadvertitur in dissert. Dantziana, de Partu virginis miraculoso. pag. 127.

***) Forte huc retulit, quod dicitur Levit. XXV, 27. amandabo benedictionem meam vobis in anno sexto, ut *faciat* תִּשְׁעַרְךָ pro תִּשְׁעֶיךָ (quasi facientem) fructus trium annorum. Item Deut. XXXI, 29 & occurret תִּשְׁעֶיךָ (quasi, occurrens) vobis istud malum. Quod ipsum vocabulum etiam
Jes

Jes. LX, 18. habetur. Sic Ps. CXVIII, 23. hoc נִפְלְאוֹת *mirandum* est in oculis nostris. Sed in his, & hujusmodi aliis exemplis, non videtur participium, sed tertia singularis præteriti existere.

*) Videatur Joh. Saubertus in dissert. de Haalmah matre Immanuelis. Cap. III, §. 3. in Palæstra theologico-philologica p. 152. Non autem admittere vult hoc Abarbenelis commentum, Samuel Andreae, in Disquisitione de Immanuelis nativitate ex virgine, Marpurgi 1679. quæ tota fere Abarbeneli est opposita, §. 25. Cæterum etiam Coccejus, in Commentario ad hunc locum, §. 37. notat: *verbum וְקָרָאתָ potest capi in tertia fœminina, vel in secunda etiam masculina, deficiente Kametz.*

**) Occurrit tamen *invocandi* notione etiam cum וְ שֵׁם simpliciter sine præfixi וְ accessione constructum. verbi gratia Ps. XCIX, 6. Mose & Aaron inter Sacerdotes ejus, & Samuel sunt *inter invocantes nomen ejus, invocantes apud Jehovam, & ipse respondet eis.* Threnor. III, 55. *invocavi nomen tuum Jehova ex puteo infernorum.* Sic & Deut. XXXIII, 3. *nomen Jehova invocabo, afferte magnitudinem DEO nostro.* Huc etiam pertinere videtur, imprimis tanquam vaticinium de Christo ex Bethlehem oriundo, Ruth IV, 11. *dabit Jehova mulierem hanc venientem ad domum tuam, sicut Rahel & sicut Leam, quæ ædificarunt ambæ domum Israelis, & fac exercitum (confer. 1. Samuel. XIV, 48.) in Ephrata & invoca nomen ejus in Bethlehem.* Sic vers. 14. dicitur: *benedictus sit Jehova, qui non cessare fecit tibi vindicem הַיּוֹם הַזֶּה, & invocabitur nomen ejus in Israël.*

§. X.

Vocabulum וְ שֵׁם NOMEN significat, latissima notione; quidquid nempe rei alicui ab aliis dignoscendæ servit, eamque facit notio-rem: sive proprium sit rei nomen, sive quod ei detur eamque noscendam præbeat

Nomen

S

EX

ex ejus natura¹, ex ejus proprietatibus, facultatibus, virtutibus, rebusque gestis. *) Unde non necesse est, ut, ubi res aliqua dicitur hoc vel isto nomine denominanda esse, nomen illud debuerit ei proprium existere, qualia sunt Jerusalelem, Zion, David, Salomo. Sic de Jerusalelem dicitur Jerem. XI, 16: oleam virentem, pulchram, fructu specioso, vocavit Jehova nomen tuum. Eadem dicitur Jerem. III, 17, vocanda folium DEI. Zach. VIII, 3, urbs veritatis. Jes. I, 26, urbs justitiæ, civitas fidelis. Conf. Caput LX, 14. Dicitur etiam Jes. LXII, 4, vocanda Hephziba, beneplacitum meum in ea. & vers. 12: quæ sita urbs non derelicta. Et Ezech. XLVIII, 35, Jehova ibi. Sic 2 Samuel. XII, 25, Nathan dicitur Salomonis nomen vocasse Jedidjah. Sic de DEO ipso dicitur Exod. XXXIV, 14, Jehovah Zelator est nomen ejus. Et Genes. XLI, 45, memoratur: & vocavit Pharaon nomen Josephi Zophnath Pagneach, occultorum interpretes. Similiter Prov. XXI, 24 de superbo temerario dicitur: empæcta est nomen ejus. Quæ nomina omnia non sunt propria, sed a proprietatibus, eventibus rebusque gestis denominantia. Ita & primum omnium nomen hominibus datum non tam proprium, quam a natura petitum legitur Genes. V, 2 ubi dicitur: masculum & foeminam creavit eos, & benedixit eis, & vocavit nomen eorum homo, in die quo creabantur illi. Cæterum juvabit hic annotare, quod Raymundus Martini **) erudite monuit, scribens: *aliud est nomen nature, aliud impositionis. Natura namque dans formam dat nomen, sicut homini hoc nomen quod est homo. Homo enim nominatur quis propter naturam hominis quam participat. Sic quoque Messias noster Dominus Jesus Christus Immanuel, id est homo & DEVS dictus est, & a Spiritu sancto, & a matre sua, & Christianis omnibus talis esse creditur & vocatur, qui duas naturas participat, divinam scilicet & humanam. Certe multa sæpe nomina uni vere competunt per naturam, hoc est*

est

est ob essentiam, originem, indolem, ingenium, virtutes, gesta: qui tamen ei non ex impositione appropriata sunt: plerumque enim ex impositione nonnisi unicum nomen alicui dari suevit, ex complurium gentium moribus, & quod haud raro cum natura nihil habet commune: id quod proprium nomen solum dicitur.

*) Ita Kohel. VI, 10. *nomen vocatum* נִקְרָא נִשְׁמָה nihil aliud videtur esse, quam *fama celebris*.

**) In Pugione fidei Part. 3. distinctione 3. Cap. VII, §. 5. p. m. 743.

§. XI.

Nomen vero illud, quo partus ille virgineus vocari vel invocari dicitur, est IMMANVEL, עִמָּנוּאֵל. Vox ^{Immanuel} _{el.} hæc est composita, ut tyronibus linguæ notum est, ex propositione עִם *cum*, pronomine suffixo נָ, *nobis*, & nomine divino אֱלֹהִים *DEVS*. Num proprium nomen illud esse debeat, quod Judæi contendunt, an agnomen, dubium videri posset. Quod si proprium autem nomen, & ex impositione datum, esset, ostendere deberent Judæi, quinam ille sit in omni historia sua, qui hoc nomine fuerit appellatus. Sed cum in libris sacris infinita occurrant hominum nomina, etiam quæ a DEI nominibus deprompta, DEI vel auxilium, vel salutem, vel paternam curam, vel id genus alia designantia, nusquam tamen cuiquam legitur tributum fuisse nomen Immanuel. Neque tamen ignotum aut novum tunc temporis fuisse Immanuelis nomen, ex ipsa hac Jesaïæ oratione satis patere videtur. Quod enim non olim demum nascendo nomen illud indendum sit, satis apparet, quod Propheta jam tunc Cap. VIII, 8. nomen ejus invocet, dicens: & erit data extensionibus, alarum ejus (nempe Assyrii) plenitudo latitudinis terræ tuæ, o Immanuel. Existebat igitur

tur jamdum ille Immanuel, licet in terra vastata demum nascendus. Ex quo simul etiam patet, quod hic Immanuel non possit esse filius Jesaiæ, nedum filius ille prophetissæ, Cap VIII, 3. memoratus. Quid enim attingeret ejusmodi hominem invocare tanquam talem, cujus illa terra sit? Erat igitur iste Immanuel talis homo, cujus terra hæc peculiari ratione propria dici potuerat: adeo, ut vastationem ejus terræ prævidens Propheta, ad ipsum dolentis cordis sui desiderium dirigere potuerit, tanquam ejus auxilium, & adversus hostes vindictam imploraturus. Hoc enim intendere Prophetam, perspicue satis ex eo colligitur, quando hostibus licet longe lateque grassantibus illudens, argumentum, quod tanto contemptu eos subsannet, addit vers. 10. quia adsit Immanuel, auxilium quippe revera præstans, & vindicaturus terram suam, & hostium conatus omnes dissipaturus. Nec necesse est, ut mundanum igitur sit regnum illius Immanuelis, ut Judæi contendunt. Messia enim licet non sit regnum de mundo, Joh. XVIII, 36. ipsius tamen peculiari ratione (non tantum quod creator est omnium, sed etiam quod redemptor terrigenarum) terra est & tota ejus plenitudo Ps. XXIV, 1. Ps. VIII, 7. Ps. II, 8. *) Ex quo etiam simul patescit, quod hæc de Hiskia non possint capi, quod Judæi nonnulli volunt. Hic enim ne quidem esse potest filius ille virginis hoc loco promissus, cum dudum natus esset, antequam partus hic virginis hic iterum promitteretur: neque Hiskias unquam legitur nomine Immanuelis vocatus: ille præterea non nisi in cassum invocari potuit ad tale auxilium ferendum imo, ut supra demonstravimus, ista hostium dissipatio sero post futura, & temporibus Hiskia longe posterior existitura erat. Multo minus alius Achasi filius post hæc nascendus existere potuit, cui istud nomen competiisset, quod alii Judæorum magistri fingunt: cum eum omnis ignoret historia: qui tamen, tantorum præ-

fer-

fertim operum, certe divinissimorum, patrator taceri minime potuisset. Ex his vero etiam una manifestum est, quod in nominis hujus in partum virgines collatione, non tam ipsum vocabulum *Immanuel*, quam res eo significata respiciatur, qua, ut Matthæus C. I, 28 nomen illud memorans, addit, est *μεθερμηνευόμενον*, interpretatione expositum, *μεθ' ἡμῶν ὁ θεός*, cum nobis *DEVS*. Ita enim Propheta dilucidissime indicat significatum potius quam vocabulum respici, dum Cap. VIII, 10, illud non tanquam nomen proprium, sed tanquam integram propositionem logicam affert, quæ rationem reddat, cur omnis hostium conatus evanescere debeat, videlicet *quia nobiscum DEVS est*. Est, inquam, manifeste hic non nomen proprium, sed ex nomine partus virginei arreptis plenissime significantibus vocabulis petitum solatium. Sed etiam vers. 8. in commemoratione vastationis terræ invocans nomen Immanuelis, significatum nominis manifeste respicit, cum Gideone quasi conquerens gemebundus: si *DEVS nobiscum*, imo si tu, o Immanuel, es, uti nomen tuum habet, *DEVS nobiscum*, cur hæc omnia nobis eveniunt? cur terra tua ita vastatur? Atque sic dein ex eodem nomine, versu 10, solatium petit: est certe nobiscum *DEVS*, ideo omnis hostium furor & conatus dissipabitur. Atque dum partus iste virgineus in signum constituitur Achaso & domui Davidis, quod fidem firmet de dissipandis Pekachi & Rezinis consiliis, ad significatum nominis hujus quam maxime respici, ac ideo partum hunc quam maxime esse signum tale, quia ille est & vocatur *DEVS nobiscum*, supra indicavimus. Ita enim hic Immanuel, quatenus est *HOMO DEVS*, *DEVS nobiscum*, vere est signum omni animadversione dignissimum, & quidem *ἄν* signum prodigiale, *petitum ex SUPERIORIBVS & INFERIORIBVS*, juxta vers. II. *ob mysterium conjunctionis VTRIVSQUE NATURAE*, uti eleganter ad hunc locum meditatur doctissimus Vi-

tringa. **) Est signum & prodigium in Israel perpetuum divini amoris maximi, auxilii præsentissimi; Est signum Achaso ejusque familiaribus & posteris, non posse interire suam familiam suumque populum antequam ipse ille natus sit; est signum promissionem divinam firmans de servanda nunc Republica, & regia dignitate Davidicæ domus, quia ipse promittens est IMMANVEL DEVS ipsis præsentissimus, eorumque futurus Rex, Goël, ac Salvator. Ex quibus igitur satis evincitur non esse nomen hoc IMMANVEL nomen proprium Messiaë, sed potius quod ei ex re ipsa competat. Scite enim divini sermonis callentissimus Flacius ***) notavit, *nomen aliquando alicui homini aut rei imponi dicitur, cum indicatur esse rem ipsam, que nominis etymologia comprehenditur; ratio autem, addit, est, quia sepe in hac lingua DICI & VOCARI idem valet quod ESSE aut EXISTERE, ut Jes. VII, 14. VOCABITVR NOMEN EIVS EMMANVEL, id est ERIT VERE DEVS IN EO NOBISCVM, tum quia ipsemet Messias erit verus DEVS, tum quia in eo & per eum DEVS nobis erit propitius.* id quod etiam aliis scripturæ veteris & novi Testamenti locis ibidem confirmat. Frustranea igitur & incongrua est objectio Judæorum, quando hinc volunt arguere nostrum IESVM non esse verum Messiam, quia ipse non Immanuel sit vocatus, sed IESVS. Fuit re ipsa Immanuel, eique plenissime competit nomen hoc toto suo significato. Pari absurditate arguerent Hierosolymam Palæstinæ non fuisse veram Hierosolymam quia ea nunquam tulerit nomen illud proprium Jerem. XI, 16 indicatum, *olea virens*, vel alia hujusmodi, quæ ei tribui legimus; aut Salomonem Regem non fuisse verum Salomonem, quia nusquam dictus legitur Jedidjah. Plura certe Messiaë nomina prædicta legimus, quæ ipsimet non dicent ei tanquam propria nomina tribuenda fuisse; verbi gratia Ps. LXXII, 17 dicitur: *Finium* nomen ejus. Zach. VI, 12. *Zemach* nomen ejus. Jes. IX,

IX,

IX, 6. vocant nomen ejus *mirabilis, consiliarius, DEVS be-
ros, eternus pater, princeps pacis &c.* His omnibus indi-
catur, non tam quid nomine proprio nuncupandus,
quam quid re ipsa exstiturus & præstiturus sit. Atque,
quod ipsum nomen Immanuel attinet, eleganter jamdum
adiitam Judæorum objectionem respondens Raymun-
dus Martini animadvertere docuit *) aliud esse nomen
naturæ aliud impositionis, & Immanuelis nomen non
impositionis esse, sed quod per naturam competat Mes-
siæ. Certe cum hic de conceptione & nativitate Mes-
siæ sermo esset, convenientissimum erat, ut nomen na-
turæ quod ei competit exprimeretur. Nomen *homo*,
quod paulo ante notavimus, primo omnium parenti ejus-
que uxori a DEO in creatione datum, non poterat
plene indicare naturam Messiaë. Qua partus virginis
erat certe homo: sed cum non tanquam nudus homo
habendus esset, hinc additur nomen naturam ejus ple-
ne docens, quo ab omnibus quæcunque in cælo & in terra
existunt, distinctus est, quodque igitur ei soli & uni compe-
tit, quod nempe hic homo, hic virginis filius sit ac dicen-
dus sit, propter intime in eo junctam divinam & huma-
nam naturam, *IMMANVEL, cum nobis DEVS.* Atque
cum ipse *DEVS* hoc nomen indicet ac approbet, tan-
to certiores esse debemus, non posse illi filio virginis
nomen istud competere sine re. Quæcunque enim ab
ipso DEO legimus data cuicunque nomina, hæc pro-
pter ipsius rei in denominato ita subjecto præsentiam da-
ta esse, res ipsa monstrat, & scopus agnominatio-
nis divinæ, & veracitas ac omniscientia ejus qui nomen de-
dit, quippe qui falli & mentiri non potest, confirmat.
**) Ex quo ipso etiam signi præsentis domui Davidis
dati, efficacia & ad plenissimam fidei convictionem suf-
ficientia, tanto magis elucet: quod a DEO ipso certio-
res facti, illum quem expectent Messiam esse ab ipsis
vocandum ac invocandum tanquam Immanuelem, tan-
quam

quam DEVM cum ipsis hominibus, & peculiarissima sanguinis cognatione, ipsi domui Davidis præsentem, non potuerint non confidere, quod ab ipso liberationem a furore Pekachi & Rezinis possint ac debeant expectare.

*) Videantur notata in Analyfi Orationis Jesaiaë, §. 17. p. 48.

**) Observationum sacrarum Libr. 5. Cap. I, §. 5. pag. m. 5. Quod repetit in commentario in Jesaïam hoc loco p. 184. editionis Leowardiensis. Conferatur Joh. Marckius, Dissert. Philologico-exegeticarum, exercitat. XV, §. 10. p. 497.

***) Clavis scripturæ sacræ part. 2. tract. 3. de Nomine proprio, §. 6. p. m. 230. b

*) In Pugione fidei, Part. 3. distinct. 3. Cap. 7. §. 5. p. m. 743.

**) Intermittere nequeo, quin quæ de nomine isto annotavit Reverendissimus Scanæ olim Episcopus Winstrupius in suis ad Matthæum pandectis, tom. I. p. 39. b. & seq. hic adjiciam. Observat nomen istud & personam Christi potissimum designare, & officium, atque etiam familiarem ejus cum hominibus conversationem. PERSONAM nempe, quia *Immanuel* idem sit quod *θεάνθρωπος* vel *άνθρωπόθεος*. ideoque in nomine illo latere mysterium, de quo Joh. I, 14. *verbum caro factum est*: imo magnum illud pietatis mysterium, DEVS *conspicius factus est in carne*, 1. Timoth. III, 16. Est enim, ait, nobiscum DEVS per incarnationem *τῆς λόγος*, per manifestationem DEI in carne, sive per hypostaticam naturarum in Christo unionem. OFFICIUM, quia *Immanuel* idem est, quod *μεσίτης*, effecit ut nobiscum esset DEVS, sive propitium & faventem reddidit, nobisque reconciliavit DEVM, cælo terram, sive homines in terris DEO in cælis conjuxit. continere nomen igitur id mysterium quod 1. Timoth. II, 5. describitur, *unus mediator DEI & hominum, homo Christus JESVS.*

FA-

FAMILIAREM CHRISTI CVM HOMINIBVS CONVERSATIONEM, quam nomen *Immanuel* etiam designat, descriptam habemus Joh. I, 14. sermo factus est caro, & commoratus est inter nos, & spectavimus gloriam ejus, &c. & 1 Joh. I, 1: quod audiimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, et manus nostre conrectarunt. Siccine fuit nobiscum DEVS? Addit dein p. 40: Porro valde notabile est, quod licet *Jehovah*, *Adonai*, & *Elohim* sint nomina D E I, non minus quam *El*, tamen Christus ab *Jesaia* & *Matthæo* non vocetur *EMMANV JEHOVAH*: quia DEVS nobiscum est in Christo, sive verbum caro factum est, non essentialiter, sed hypostatice. *Jehovah* essentielle est DEI nomen, notans DEI essentiam. Nec *EMMANV ADONAI*, quia Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret. *Matth. XX, 28. Marc. X, 46.* notat autem *Adonai* DEI dominium, significatque DEVM quatenus supremus est omnium Dominus. Nec denique *EMMANV ELOHIM*, quia non ita factus est nobiscum DEVS, ut terreret nos, ut judicaret nos, sed ut solaretur nos, ut salvaret nos. *Non enim misit DEVS Filium suum in mundum, ut damnaret mundum, sed ut servetur mundus per eum Joh. III, 17.* *Elohim* autem notat DEVM, quatenus iudex est & vindex omnium. Cæterum Christus non sine prægnanti ac efficaci solatio vocatur *EMMANVEL*, quia *El* designat DEI robur & omnipotentiam, notatque DEVM quatenus fortis est & omnipotens, prout τὸ ἑβραϊστὶν *Aquila* & *Theodotio* interpretantur μεθ' ἡμῶν ὁ ἰσχυρός id est nobiscum ille fortis. Etenim DEVS per verbi incarnationem, ejusque in carne œconomiam, sive per Christum, ejusque œconomiam & officium, summum robur & potentiam ostendit, debellando hostes potentissimos & atrocissimos, scilicet *Dæmonas*, infernum, mortem & peccatum, &c. Hæc *Winstrupius*. Addi posset, quod ita etiam partus hic virgineus dicatur *El Gibbor* DEVS heros: & quod *Paulus*, *Immanuelis* præco fidelissimus, scribat 1 *Corinth. I, 23 & 24.* prædicamus Christum crucifixum, DEI potentiam ac DEI sapien-

T

tiam

tiam. & quod ipse noster Immanuel se, Luc. XI, 22, appellet τὸν ἰχυρότερον qui potentem armatum vicerit, totam ejus armaturam ei abstulerit, & spolia ejus distribuerit.

§. XII.

*Signum
plenissime
vers. 14.
esse indi-
tum.*

Nihil igitur indicari amplius & excogitari poterit, quod adhuc desideretur in signo hoc divino ad conferendam & confirmandam fidem plenissimam de vanitate consiliorum Rezinis & Pekachi aduersus Judam & domum Davidis initorum, & ad exstirpandum omnem metum ex animis omnium, qui ab illis confœderatarum caudarum vulpinarum titionibus incussus fuerat: quod non omne exhibuerit explicatus hæcenus versiculus decimus quartus orationis propheticæ: ut non necesse fuerit adstantibus apud prophetam expectare aliquid præterea de signo illo adhuc commemorandum. Perspicuum erat omnibus expectari virginem parituram Messiam: perspicuum erat, illum vocari Immanuelem: perspicuum erat in illo DEVM esse præsentissimum cum ipsis perspicuum erat & cognitissimum DEVM promississe hæc infinities: perspicuum igitur etiam ipsis erat, sibi in eo suppetere signum certissimum, quod non possit eradicari populus, nec Davidica domus, ante quam Messias ille advenisset, atque natus esset, seque Messiam exhibuisset: imo quod ne quidem ulli mutationi possit regnum & respublica subjici, modo hunc cum ipsis peculiarissima ratione præsentem DEVM non desererent, sed vera fide colerent ac invocarent. Hoc monere visum est, antequam ad verticuli sequentis procedamus explicationem de quo valde dissentiunt Interpretes, an in illo adhuc signum istud pluribus indicetur, an vero non. Sufficiat hæcenus, quod constet non necessum esse, ut de signo amplius quid expectemus quod additum fuerit.

Quid

Quid vero in versiculo decimo quinto contineatur, quidque in eo quærendum sit, pandet jam nobis diligentior singulorum verborum eius consideratio, quam igitur, invocata divini spiritus manu ductione, & animarum nostrorum collustratione, prosequi pergemus.

§. IX.

Vocabula חֶמְצָה וְדָבַשׁ BUTYRUM AC MEL noti *Butyrum
ac mel.* sunt significatus, neque quidquam habent difficultatis. חֶמְצָה proprie est pinguedo lactis, quæ ex ejus superficie colligitur, *) ex qua butyrum conficitur, ut Raschi ad Genes. XVIII, 8 notat. Et דָּבַשׁ non tantum apum opus, sed omnem dulcedinem fructuum signat, uti idem ad Levit. II, 11. observavit: unde & palmarum ac dactylorum dulcedinem notat 2 Chronic. XXXI, 5. Id saltem animadvertere juvabit, terram sanctam hoc imprimis nomine in sacro codice commendari, quod melle & lacte fluat. Ita statim ipse DEVS, cum Mosen ad educendos Israelitas ex Ægypto instrueret, eo nomine terram istam laudavit, Exod. III, 8. 17. Inde etiam Moses benignitatem divinam erga populum Israeliticum descripturus Deut. XXXII, 13. 14. dicit: fecit eum mel sugere ex rupibus, & oleum ex filicibus, butyrum de armento & lac de grege, cum pinguedine agnorum. Cum enim pinguiissima illa & fertilissima existeret tellus, pratis ac nemoribus conspicua, & dulcissimis omnis generis fructibus abundans, imprimis palmis: inde merito dici poterat lacte & melle fluere ac abundare, utpote cui butyrum ac mel, pinguedo ac dulcedo omnis generis, in maxima copia & abundantia suppeteret, adeo, ut & infimæ fortis ac tenuissimæ fortunæ pauperumque homines his vel solis victitarent **) imo his ea fere solis in victum cederent: uti solent fere ea, quæ abundanter nimis suppetunt, ditioribus vilescere & fastidio fieri, appetentibus rariora & pretiosiora.

*) Plinius, Historiæ naturalis libr. 28. Cap. IX, *id quod supernazat decocto lacti post exemptam oxygalam, butyrum est, oleosum natura.* Eleganter Clemens Alexandrinus, Pædagogi libr. 1. Cap. VI, p. m. 80. λιπαρόν τῆ γάλακτος *adipem lactis* vocat, qua Christiani in lucernis utantur. Hecataeus apud Athenæum, diognosphistarum libr. 10. *oleum de lacte* id nuncupavit.

***) Plinius loco citato scribit: *E lacte fit butyrum barbararum gentium lautissimus cibus, & qui divites a plebe discernat.* Vnde colligeres, apud Romanos non fuisse frequentem butyri usum. Dabium autem relinquit, an distinguat apud barbaros cibus hic divites a plebe, quod plebis, an quod divitum magis proprius sit. ut neque satis patet, quosnam potissimum Barbarorum nomine voluerit indigitare. Dalecampius annotavit hoc loco, *divites plurimum quotannis e suis armentis reponunt, quod vendant: plebei parum, & quod in usum quotidianum tantum satis sit. itaque locupletibus in censu & reditu est.*

§. XIV.

Comedet
quisque

Verbum **כָּלֵךְ** tertia est futuri ab **כָּלַךְ** COMEDIT. Quem significatum dubio procul etiam hic habet, cum de comestibilibus sermo sit, butyro & melle. Licet alias etiam generaliore consumendi notionem habeat, imo, in usus suos & commoda quid vertendi: uti 2 Sam. IX, 10. David jubet reditus agrorum cedere in panem Mephibosethi, quem comedat, hoc est in commoda sua vertat; nam quantum ipse comedere vere debebat, hoc ei ex regia mensa dandum esse statim additur. Hoc loco nostro autem **כָּלֵךְ** erit COMEDET. Atque magno consensu interpretes id de ipso partu virgineo dictum esse statuunt, & multa igitur commentantur, cur dicatur filius virginis comesturus butyrum ac mel; & multo magis disputant, quomodo istorum comestio conferat ad electionem boni & reiectionem mali. Quidam eorum

eorum, imprimis Judæi, partem signi *) in eo constituunt, quod recens natus infans statim butyrum ac mel fit comesturns. Alii metaphoram statuere hic malunt, & comestionem butyri ac mellis interpretantur usum verbi divini, quod sæpius in sacris lacti & melli comparatur. Quod tamen non de filio virginis illud *Comedet* **) capi debeat, videtur divinus orator indicium dedisse in ipsis suis verbis, dum additur, לְרַעְיָתוֹ. ubi pronomen suffixum; prorsus esset superfluum, si præcedens *comedet* de filio virginis dictum esset. Sufficiebat enim tunc dixisse: *butyrum & mel comedet filius virginis, ut sciat*, neque opus erat dicere, *ut sciat ipse*. At in sermone divino non quid superflue dictum statuendum est, neque est boni interpretis, in quocunque etiam humano sermone aliquid supervacaneum statuere, quamdiu causa inveniri potest, cur illud fuerit additum. Sicut igitur plane non opus erat, ut illud adjiceretur ad subjectum scientiæ indicandum, quod jam satis manifestum fuisset, si præcedens *comedet* de partu virgineo capi debuisset: ita, cum pronomen istud adiectum sit, nec possit ad alium, quam ad partum illum virginis respicere, illum tanquam objectum potius scientiæ indicabit, & sensus verborum latine ita fere erit reddendus: *butyrum ac mel comedet, ut sciat IPSVM*, illum filium virginis *rejicere malum & eligere bonum*. Ita nihil erit in divino isto sermone superfluum. Hoc vero sicut paulo post evidentius probatum dabimus, ita hoc loco jam disquirendum erit: quodnam igitur sit illud subjectum, de quo dicatur, *butyrum & mel comedet ut sciat* vel cognoscat ipsum Filium virginis. Vbi vero linguæ hebrææ gnaris difficile non poterit esse invenire subjectum illud. In præcedente enim capite hujus nostræ tractationis sæpius jam notavimus, genium hujus linguæ ferre, ut ubi indefinitum & fere universale subjectum indicare volunt,

Quodnam sit
subjectum pro-
positionis

illud plane non memorent, sed tertiam singularis verbi absolute ponant, ita fere, sicut in nostra vernacula dicimus: man fagt, man meynt, man isset, quæ si latina lingua exprimenda sint, vel pluralis est adhibendus, ajunt, nominant, comedunt; vel tertiæ singularis addendum est pronomen quis vel quisque: nominat quisque, dicit quisque. Atque ita etiam hic *buiryrum & mel COMEDENT*, sive *comedet quisque*. Quam familiare huic linguæ id sit, pluribus exemplis in solo verbo נִרְפָּה ostendimus in analysi nostra ad Jes. IX, 6. neque paucioribus præstari posset id in aliis verbis observatum. Ita Jes. VIII, 4. *antequam puer hic clamabit pater mi, mea mater*, TOLLENT sive *tollit is cui id convenit prædam Samariæ*. Et Cap. VII, 24: *cum sagittis & arcu* IBVNT sive *ibit quisque illuc*. Cap. VIII, 22. *& in terram* INTVEBVNTVR sive *intuebitur quisque*. Qualia exempla infinita ***) alia afferre proclive esset, si quis de eo posset dubitare. Nec est, quod quis metuat ambiguitatem ita linguæ huic & dictis sacrarum literarum accessuram esse. ejus enim tam secuta est hæc lingua, ut vel idem verbum in eodem versiculo repetat, nunc certum subjectum, nunc indefinitum subintelligendo, ut tamen animis linguæ genio adsuefactis nihil ambiguitatis inde metuatur, qualenam subiectum utrinque sit intelligendum. Sic 1 Sam. XIX, 22: *& venit (Saul) usque ad fontem magnum qui est in Sechu, & quesivit & dixit (nempe Saul) ubi est Samuel & David? Et dixit (quidam vel quicumque) ecce sunt in Najotb in Ramab*. Hic נִרְפָּה bis ponitur: neque tamen quisquam unquam poterit opinari idem esse posterioris subjectum quod prioris. Sic 2. Reg. IX, 11: *& Jehu exivit ad servos Domini sui, ex dixit (non certe Jehu, sed aliquis vel quicumque præsentium) ei, num pax est? cur venit furiosus ille? & dixit (non quidam illorum, sed ipse Jehu) ad illos: vos nostis virum illum*. Multo minus in præsentis Jesaiæ loco potuit ulla nasci audientibus dif-

dif-

difficultas. De signo enim tam clare & consummate dictum fuerat, ut nemo expectare posset aliquid amplius de eo addendum. Et cum novam orationis periodum loquens ordiretur, tanto minus subiectum ex præcedente repetere necessum habebant audientes. Formula vero loquendi etiam usitata erat & omnibus familiaris, ac si in nostra quis diceret lingua: Butter und Honig wird man essen. Et præterea additum sequenti verbo relativum suffixum (ut cognoscat quivis *ipsum*) omnem difficultatem tollebat, quod non de ipso signo dicta sit comestio butyri & mellis. Quid vero velit illa phrasis *BYTYRVM ET MEL COMEDERE*, si quæras: iudicet jam quilibet, annon *DEVS* ea voluerit eludere imo ludibrio omnium exponere, decretum Rezinis & Pekachi de terra Judaica, vers. 6. memoratum, quo illam se discissuros & diruituros dixerant. Quod enim verbum *יָבֵא* talem plenariam terræ vastationem notet, qua tota ejus facies evertatur, probavimus in notatis ad istum versiculum. Sed, inquit *DEVS*, hoc non succedet, neque ita ab iis terra diruetur, quin potius erit terra hæc adhuc lacte & melle fluens, usque dum ipse Immanuel supremum de ea feret iudicium. Atque hoc ipsum veram esse verborum istorum mentem, satis evincit, quod in sequentibus tam prolixè de mellis & lactis abundantia incolis servanda differatur; qua etiam, licet terra post hæc atrociter vastanda sit ab Ægyptiis & Assyriis, tamen butyrum & mel comesturus sit, quicumque in terra superest, vers. 22. Atque si phrasin hanc attentius consideremus, videtur adagii quidpiam sapere, & butyrum ac mel comedere tanquam proverbio dictum fuisse, ad significandum, esse incolam terræ illius lacte & melle fluentis, adeoque asseri hoc ipso, quod semper futuri sint ex populo Judaico, & imprimis ex domo Davidis (ad quam sermo hic inde a versu 13. directus est) qui incolæ terræ hujus futuri sint usque ad Messiaë iudicium

Sensus
phraseos:
butyrum
ac *mel*
comedere.

cium. Eritque hoc loco subiectum $\tau\delta$ לְדָוִד imprimis quisque descendens ex domo Davidis. cui tamen dein vers. 22 alii etiam in ea fruitione terræ junguntur ex reliquo populo superfuturi. Atque cum paulo ante animadverterimus usum butyri ac mellis eo tempore pauperibus præsertim ac tenuioris fortis hominibus relictum fuisse: non abnuerim id simul indicari, quod posterius domus Davidicæ, ad quam DEVS ista edisserit, ita redituri sint ad tenues fortunas, ut inter plebejos tenui & vulgari cibo victitaturi sint. Quæ omnia ex sequentibus magis magisque comprobantur, ceu vidimus. Ut igitur in his verbis fundamentum & prima lineamenta conspiciantur omnium deinceps a Propheta dicendorum in hac sua coram Achaso oratione.

*) Nihil prodigii in eo latere, quod infans lacte & melle nutriatur, ostendit Wagenseil ad Tela Ignea Satanæ, pag. 388 & sqq. allegans etiam Bocharti Hierozoicon, Part I. libr. 2. Cap. 15.

**) Plura argumenta, quod de Filio virginis ista non sint capienda, habes in dissertatione Dantziana, de Partu Virginis miraculoso, §. 81. p. 137. & sq.

***) Genes. XLVIII, 1. & dixit quis Josepho. vers. 2. & indicavit quis Jacobo & dixit. 2. Reg. IX, 11. & dixit quis ad eum, Jehu. Man sprach. 1 Sam. XIX, 21: & indicavit quis Sauli. Ezech. XVII, 6. annon evellat quicumque radices ejus & succidet quisque fructus ejus? Cap. XXII, 10: pudorem patris retegat quisque in te. Jerem. XLVIII, 15. & urbes ejus ascendit quisque. man ersteiget Ezech. XXIII, 44. & intrat quilibet ad eam sicut ad meretricem. Zach. XIII, 6. & dicet quicumque ad eum, quid plaga illa inter manus tuas? Cap. VII, 13: & fiet, quemadmodum clamavit quicumque, & non audiverunt. Proverb. XVI, 13: loquentem recta amabit quisque. In quibus, ex sententia celeberrimi Dantzii, Interpretis §.

III. subaudiendum est cujusque verbi participium, vel nomen
 וַיֵּדָע, juxta Keri Masoreticum 2 Sam. XVI, 23.

§. XV.

Quod igitur sequitur vocabulum לְדַעְתּוֹ, constat id
 esse infinitivum דַּעַת a radice יָדַע *scivit, cognovit*, cum præ-
 fixo ל, quod plerumque præpositionem *ad* exprimit; &
 suffixo pronomine ו, quod nunc subjectum nunc obje-
 ctum significare suevit. Vertendum igitur erit illud
 לְדַעְתּוֹ AD SCIRE IPSUM, vel si infinitivus in verbum
 finitum reducatur, *ut sciat ipsum vel ipse*. De ipso verbo
 דַּעַת ejusque significatu in hoc loco nulla est dissensio.
 De præfixo ל autem notarunt quidam interpretes, etiam
 qui de Filio virginis hæc dici arbitrantur, quod is buty-
 rum & mel sit comesturus, illud etiam significare *usque*
ad. Aque illorum sententiæ omnino accedendum esse
 existimo, illudque ל non aliam habere hoc loco notio-
 nem; quam etiam alias ei satis familiarem & frequentem
 observamus. *) Ita cum ipso verbo דַּעַת illa significa-
 tione constructum invenitur Genes. XXIV, 21. ubi servus
 Abrahamæ dicitur tacuisse לְדַעַת *usque dum sciret*, sive *usque*
ad scire num DEVS prosperasset iter ejus. 2 Samuel. III,
 25. dicit Joab: scis Abnerum filium Ner, certe כִּי, *ut*
infatuet te venit, לְדַעַת *usque ad scire* sive *usque dum sciat*
 egressum tuum & ingressum tuum & *usque dum sciat* omne
 quod tu facis. Proverb. IV, 1 attendite לְדַעַת *usque ad*
scire sive *usque dum sciatis* intelligentiam. Atque observa-
 ta hac תּוֹ ל significacione clarissimus etiam evadet locus
 Kohelet. VIII, 17. qui alias interpretibus obscurior ap-
 paret: & vidi omne opus DEI, certe כִּי non valet (si-
 ve viribus pollet) לְמַצּוֹת *quicumque homo usque*
ad invenire (sive *usque dum inveniatur*) opus illud quod fit sub
 sole, propter quod laborat homo ille ad quærendum &
 non invenit. atque etiam cum dixerit (sive edisserverit
 ei) sapiens aliquis לְדַעַת *usque ad scire* (sive *ut*
 id

U

id

id alter ille scire posset) non tamen valet **נִצְמַח** usque ad invenire. id est, non cujusvis vires sufficiunt eousque, ut ad istud sapientiæ fastigium pertingat, licet etiam sapiens aliquis ideam demonstret & ad plenam usque scientiam ei dandam exponat, non tamen eousque pertingendi vires habet animæ. In his igitur, & multo sapius, **ל** manifeste notat usque ad. Iam quod attinet suffixum; illud quidem cum verbo finito junctum, forte nunquam nisi objectum verbi indicat, cum infinitivo autem junctum sapius quidem etiam objectum, haud raro tamen etiam subjectum verbi significat. Inde etiam in præsentis loco interpretes illud acceperunt tanquam notam subjecti, & explicarunt: donec sciat ipse. nempe comedens, rejicere malum & eligere bonum. Sed, ut diximus, hac ratione prorsus superfluum esset illud suffixum, imo nonnisi ad superinducendam sermoni ambiguitatem idoneum, cum, si subjectum indicandum fuisset multo certius id factum fuisset sine suffixo hoc, quam eo addito. Si enim simpliciter dictum fuisset: *butyrum & mel comedet* **לרעה** ad sciendum rejicere malum & eligere bonum: nemo potuisset aliud cogitare subjectum, quam illum qui mel & butyrum comesturus sit postquam igitur suffixum additum est, cogitare etiam quilibet potest, annon objectum cognoscendum potius eo intelligi debeat. Atque cum illud **לרעה** multoties in sacris literis reperiamus etiam ita positum, ubi haud incommode potuisset addi suffixum ad subjectum exprimendum, nusquam tamen illud invenimus additum, quia sine eo etiam subjectum satis cognosci potuerat. videantur loca citata Genes. XXIII, 21. 2 Samuel. III, 25. Proverb. III, 1. Sic etiam Genes. III, 22, ubi DEVS dicit *ecce Adam factus est sicut unus ex nobis ad sciendum*, sive ut sciat ipse, **לרעה**, sine addito **ו**, bonum & malum. Deut XIII, 3. Dominus DEVS vester tentat vos, ad sciendum **לרעה** sine addito **ו**, num sitis amatores Domini DEI vestri. Semel saltem occurrit cum hoc verbo

verbo

verbo suffixum ' ad subjectum signandum, quia illud alioquin ambiguum futurum fuisset, Deut. IX, 24. ubi Moses dicit: *rebellantes fuistis adversus Jehovam* מִיּוֹם דָּעַרְיָ אֶתְכֶם *a die cognoscere me, sive a quo cognosco ego vos.* ne forte ad Jehovam vel alium quemcunque referretur. Sed cum suffixum הַ cum hoc verbo invenimus Genes. XXXVIII, 26, obiectum illud notat non subiectum: *non addidit Iuda amplius ad cognoscendum ipsam* לְדַעְתָּהּ *sive ut cognosceret ipsam.* Quod ipsum הַ cum addi haud incommode potuisset ad subjectum indicandum, omissum est Esther, III, 5: *Esther precepit Hathacho ad Mardocheum* לְדַעְתָּהּ *ut sciret ipsa,* sine suffixo הַ, *quid hoc, & propter quid hoc?* omissum est suffixum, quoniam etiam sine eo subjectum verum posset nosci. Neque occurrit amplius in toto sacro codice suffixum aliquod cum infinitivo hujus verbi, nisi in illis duobus locis, & præsentem nostro Jesaiano. Vnde in hoc nostro loco non frustra positum esse judicari debet. Cum 2 Chronic. XXXII, 31. de Hiskia dicatur: *reliquit eum DEVS* לְנִסּוֹתָיו *ut tentaret eum,* non ipse, לְדַעְתָּהּ *ut sciret omne in corde ejus;* priori verbo suffixum est additum obiectum determinans, neque tamen opus visum posteriori tale addere quod ad subjectum reduceret; quoniam illud etiam absque hoc intelligi poterat. Sic Jes. L, 4, Messias dicit; *Dominus Iehovab dedit mihi linguam doctorum,* AD SCIENDVM AD LOQVENDVM *in tempore cum fatigato verbum;* neutriubi addito suffixo. Exod. XXXVI, 1, dicitur de artificibus tabernaculum constructuris: *quibus dedit Dominus sapientiam & intelligentiam ad sciendum ad faciendum,* (utrinque sine suffixo) *omne opus.* & Ps. LXVII, 3, cum in versu præcedente dictum esset: *lucere nobis faciat faciem suam;* additur statim: לְדַעְתָּהּ *ut sciamus,* sine addito suffixo, *in terra viam tuam.* Cum igitur perpetuum hujus infinitivi usum absque suffixo subjectum determinante reperiamus, etiam talibus in locis, ubi subjectum ob-

scurius videri poterat, quam in præsentī loco nostro: haud temere certe arguimus, non illud frustra hic esse adjectum, ideoque non subjectum cognitionis indicare. Quodnam, autem illud objectum sit, nemini poterit ambiguum existere, cum aliud certe esse nequeat, quam is, cujus solius DEVS fecerat mentionem, Filius nempe virginis. Dicitur igitur hoc loco: *butyrum & mel comedet quisque, usque dum sciat vel cognoscat eum, nempe Immanuelē &c.*

*) Annotavit Interpres Dantzianus §. 151, vel in priore editione §. 200. not. z. & a. loca Levit. XXIII, 12. Daniel. IX, 24. Amos. II, 10. Plura suggeret Noldius in Concordantiis Particularum Hebraicarum. pag. m. 447. num. 13. & pag. 462. num. 42.

§. XVI.

*Rejicere
malum
& eligere
bonum*

Sed additur etiam, quidnam imprimis in illo Filio Virginis cognoscendum obtinget: nimirum *סָחוּס בְּרַע וּבְחַר בְּטוֹב* REIICERE MALVM ET ELIGERE BONVM. Abjecte nimis neque digna sermone divino sentiunt, qui de iudicio physico, & naturali rejectione ciborum amarorum & ingratorum, & electione gratorum atque dulcium ista capiunt. Atque pueriliter ineptiunt illi ex Judæis, qui in eo ipso signum datum esse non erubescunt asserere. Melius alii, qui de iudicio morali hæc interpretantur, quando discernere facienda a fugiendis, iustum ab iniusto, æquum ab iniquo, vitium a virtute, rectum a pravo, bonum a malo, quis novit: sive quando puellus ad annos discretionis, qui dici solent, pervenit. Hi tamen, dum dicunt ipsum Virginis Filium victitaturum butyro & melle, donec sciat ita discernere bonum a malo, coguntur fere a proprietate literæ recedere in præcedentibus, & comestionem butyri ac mellis de studio verbi divini exponere. Atque ut que etiam in eo assimilari voluit Salvator noster fratribus suis, ut disce-

ret

ret quoque & proficeret sapientia, uti Luc. II, v. ultimo, legimus de eo memorari divinitus. Neque dubium forte posset esse, num in versiculo sequenti rejectio mali & electio boni capiatur de judicio morali cum annis discretionis puellis accedente. Jam cum per haecenus dicta satis, ut puto, sit demonstratum, non de filio virginis dici, sed de incolis terræ sanctæ, in primis de posteris familiæ Davidicæ, quod butyrum ac mel proprie dicta comesturi sint, usque dum cognoscant illum virginis filium rejicere malum & eligere bonum: si hoc de annis discretionis pueri capiamus, dicendum erit, *παχυλῶς* saltem indicari tempus, quousque terræ illius foecunditas, & mellis lactisque affluentia conservanda sit. Quam sententiam qui amplecti voluerint, saltem non tot difficultatibus se intricant, quot urgentur alii. Fateor tamen mihi nimis adhuc humile videri, si illud, rejicere malum & eligere bonum, capias de judicio morali filii virginis: cum dignitas atque majestas Immanuelis suadeat eminentius aliquod judicium hic indicatum statuere, nimirum illud, quo totam illam terram & totum istum populum ita judicaturus sit, ut quidquid perseveranter malum est, & quidquid omnem ejus gratiam pertinaciter & morose contemturum, rejiciat; quidquid vero gratiam ejus admissurum, tanquam bonum eligat; eoque facto ipse præstiturus sit, quod Rezin & Pekach & Assyrii & omnes Judæorum hostes antea incassum tentaverant, ut nempe terram plenario excidio & rem publicam Judaicam internecinae dissipationi ac abolitioni traditurus sit. Ita enim 1.) dignum est hoc solum judicium, quod hic tam absolute & simpliciter memorerur. 2.) congruum personæ divinæ Immanuelis, utpote ipsi peculiare & proprium, cum judicium illud morale (ut de naturali non dicam) commune habeat cum aliis nudis hominibus, quantumvis id gradu eminentiore possederit. 3.) requirit fere hujus judicii commemo-

U 3

ratio

*Judicium decretorium
Immanuelis adversus terram judaicam*

rationem ipse contextus: cum de totali reipublicæ Judai-
cæ abolitione initium sermonis fuerit, & quam frustra
eam omnes tentaturi sint, etiam in subsequentibus edif-
feratur, quæ tamen aliquando evenire debebat. Indi-
candum igitur fuerat, quando & quo autore evenire
deberet. 4.) nec obstat, quod eadem phrasis *rejicere
malum & eligere bonum* statim vers. 16 de quolibet pue-
ro adhibeatur. Fac enim eam sic adhiberi: non tamen
ideo eandem etiam de Immanuele eodem sensu adhibe-
ri & accipi debere, docet verissimus canon hermeneu-
ticus: talia sunt prædicata, qualia esse permittuntur a
suis subjectis. Sed etiam versum 16. convenientissime
de ipso Immanuele capi in analysi ostendimus. 5) Ita
vero scriptura sæpius, quando adventus Messiae in car-
nem mentionem facit, etiam judicium hoc adversus Ju-
dæos ad rejectionem mali & electionem boni comme-
morat, nunc quidem tectius, nunc vero diserte satis &
signate. Ita in antecedentibus sæpius memoratus est di-
es Domini, nempe ipsum hujus judicii Messiae judicantis
tempus. Jes. II, 2.4. 11. 12. Cap. III, 13. 14. Sic Jes. XL, 10 ec-
ce Dominus Jehovah in fortitudine venit, & brachium
ejus jus dicit ei, ecce merces ejus cum ipso est, & com-
pensatio ejus ad facies ejus Cap. LXII, 11; dicite filia Zi-
on, ecce salus tua venit, ecce merces ejus cum ipso est, &
compensatio ejus ad facies ejus. Ezech. XXXIII, cum
Messias multa dixisset de officio suo postorali in terra
obeundo, vers. 17. & sqq. addit etiam, quodnam su-
scepturus sit judicium inter agnum & agnum, & inter
arietes & hœdos. Disertissime autem Malachias, *)
cum Capite III, 1 prædixisset adventum Johannis præ-
cursoris Christi, & hunc statim subsequentem Domi-
num templi & angelum foederis, subjicit vers. 2: & quis
sustinet diem adventus ejus? & quis est qui stat quando
apparet ille? quia ipse est sicut ignis metallifusoris, &
sicut smegma fullonum. vers. 3: & sedebit fundens &
pur-

pur-

purgans argentum &c. Sic Cap. III, 1: nam ecce dies venit ardens sicut clibanus, & erunt omnes superbi & omnis faciens malitiam stipula, & accendet eos dies veniens, inquit Jehovah Zebaoth, ut non supersit eis radix aut ramus. vers. 2: & orietur vobis, timentes nomen meum, sol justitiæ, & sanatio in alis ejus, &c. vers. 3: & conculcabitis impios, & erunt pulvis sub plantis pedum vestrorum, in die, quem ego facio, inquit Jehovah Zebaoth. Illustrantur ista ex Jerem VI, 27. & sqq ubi concludit vers. 30. argentum כֶּסֶף rejectum vocant eos, quia rejicit eos Jehovah מִן־בְּרִיתָם. De hoc ipso Messiaë judicio etiam totus Psalmus L, agit. 6.) Atque sic videmus etiam eventum respondisse. Postquam enim Immanuel iste filius virginis in carne comparuit, elegit sibi per evangelium suum omnes gratiæ ejus non morose resistentes: in refractarios autem Judæos & pertinaciter malos animadvertit excidio Hierosolymitano, & omnimoda reipublicæ eorum abolitione, ac vastatione terræ eorum plenaria. 7) Atque igitur etiam terram sanctam ex illo tempore a pristina sua foecunditate multum defecisse, & vix mereri amplius lacte ac melle fluentem dici, facile possumus largiri. Atque cum post Servetum **) Tolandus ***) inde fidem Mosis lacesiverit: tantum abest, ut veritati divinæ eo officiat, quod impie intendit, ut potius illam suis insultibus comprobet, eique ferat testimonium. Haud obscure enim hoc in nostro loco Jesaiano id prædictum videmus. Ipse vero etiam Moses diu ante indi cavit, fore non tantum Tolandi similes empæctas, sed etiam alios, qui mirabundi ac stupentes, DEVM adussisse terram illam sulphure & sale, ut neque conseri possit, neque germinet quicquam, neque herba in ea succrescat, quæsituri sint: cur Jehova huic telluri ita fecit? quæ est illa excandescencia hujus tam ingentis iræ? Deut. XXIX, 23. 24 Ita nimirum fit, ut terra foecunda in falsuginem

ver-

vertatur, propter malitiam habitantium in ea. juxta dicta Psalm. CVII, 34.

*) Conferatur Johannis Gerhardi Explicatio Evangeliorum Dominicalium ἐλεγκτική; pag. m. 107. §. 15.

**) Videatur La Roche, Bibliotheq. Angloise. tom. 2. part. I. pag. 120.

***) In Originibus Judaicis, pag. m. 139. & seq. Strabonis autem locum Tolando nihil favere ostendit Jacobus Fayus in Defensione Religionis, nec non Mosis & gentis Judaicæ contra Tolandum, pag. 203. & sq.

§. XVII.

Scopus
verus
verbo-
rum to-
tius v. 15.

Ex his igitur non poterit amplius obscurum esse, quid velint divina ista verba: *butyrum & mel comedet quisque, usque dum sciat vel cognoscat eum*, virginis nempe filium, *rejicere malum & eligere bonum*. Nimirum nullo modo in partes signi, stabiliendæ fidei gratia dati, veniunt: sed potius id ipsum, cujus persuadendi gratia signum datum fuerat, tanquam confectarium eliciunt, & spem, fidei in signum istud adjunctam, nova promissione firmant, & aliquo modo restringunt, dum docent quousque ea durare debeat, & quod non omnes, nec ad omnia tempora interim decursura spectet, nec omnigenam terræ & populi ac reipublicæ & familiæ Davidicæ felicitatem expectare faciat. Signum Immanuelis ex virgine promissi, nondum nati, sed suo tempore nascendi, & interea populo semper præsentis, fidem firmabat, non posse igitur everti populum, & terram dirui, & domum Davidicam destrui, posse vero ab Immanuele isto adversus Rezinem atque Pekachum auxilium ex promisso expectari plenissimum, atque deinceps etiam omni tempore impetrari ab illo adversus omnes hostes, illud auxilium fide vera implorantibus. Spes vero hinc poterat

terat

terat concipi, fore, ut igitur sicut nunc ita & deinceps & terra & respublica Judaica & familia regia in perpetuo splendore, & perenni incolumitate, excellentia, & felicitate, sit permansura. Hanc vero spem ne quis eadem auxilii adversus Rezinis & Pekachi insultus promissione datam præsumeret, & eodem signo alere: alia subjungitur promissio in verbis præsentibus, quæ illud quidem tanquam consecrarium ex signo dato infert, quod igitur certa fide statui debeat, conservandam etiam esse terræ hujus habitationem populo Judaico & familiæ Davidis; quæ vero simul spem illam restringit, quod nempe non perpetua sit futura illa habitatio & fruitio terræ lacte & melle fluentis, sed usque dum reipsa experturi sint incolæ, & cognituri illum Immanuelem esse justum judicem, & malos rejicere, bonos autem licet paucissimos sibi eligere: atque etiam interea non eam, quæ nunc, reipublicæ & regię familiæ eminentiam semper mansuram, sed (certe propter peccata ipsorum: sicut in subsequentiis id pluribus docetur, ceu in analysi vidimus) eventurum, ut remoto a Iuda sceptro, & tandem etiam legislatore a pedibus ejus sublato, habitatores terræ, plebejæ quasi conditionis homines, tantum vulgaribus terræ proventibus, butyro ac melle victitaturi sint. Atque veram hanc esse ipsamque divinam in his versiculi hujus decimi quinti verbis mentem, satis exinde manifestum est, ut jam monuimus, quod hoc ipsum, neque quidquam aliud in subsequentiis prolixissime deducatur, & quasi uberrimo commentario enarretur, præmissa tantummodo versiculo 16. confirmatione promissionis de instante proxime liberatione a Pekachi & Rezinis insultibus, antequam videlicet Immanuel istud iudicium sit exerciturus, vel (si alteram præferas interpretationem) antequam puerulus quicumque ad annos discretionis perveniat. Manifestissimum igitur esse perspicimus per divinam gratiam, plenissime sibi in verbo suo constare di-

X

vi-

vinam veritatem: & rectissime eodem, quo Jesaias olim, spiritu sanctissimo latum Matthæum DEI isthæc apud Jesaiam verba allegasse, tanquam vaticinium & de Messia agens, & matrem ejus virginem intemeratam pronuncians: quando, facta mentione, quod sanctissima virgo Maria, sine viri congressu, ex solius Spiritus sancti operatione, Messiam Salvatorem nostrum JESVM conceperit atque pepererit, subjecit Cap. I, 22: τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῆ τὸ ρήθεν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος, V. 23: Ἰδὲ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱόν, καὶ καλέσασιν τὸ ὄνομα αὐτῆ Ἐμμανὴλ ὃ ἐστὶ μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός. Neque quidquam est in verbis Jesaiianis, & in toto amplissimo ejus orationis contextu, quod huic allegationi Matthæi, imo sanctissimi spiritus, adversetur: quin potius omnia eandem concinissima harmonia stabiliunt atque confirmant. Imo nec possunt verba illa ullo modo nancisci aliam literæ tenacem interpretationem, præter datam a Matthæo, nisi incommodam, difficilem, vel prorsus absurdam & se ipsammet destruentem.

CAPVT III.

DEMONSTRATIO VANITATIS AFFICTARVM ALLEGATIONI ET IN- TERPRETATIONI VATICINII HVIVS, A MATTHÆO FACTÆ, DIFFICVL- TATVM.

§. I.

*Scopus
dicendo.
τιμ.*

Quæ hætenus prioribus tractationis hujus capitibus edisseruimus, abunde monstrant, non tantum nihil esse in tota oratione Jesaiæ ad Achasum habita, quod obstet, quo minus a Matthæo

thæo ex eadem allegatum vaticinium, de Messia, tanquam incorruptæ virginis filio, possimus interpretari, quin potius omnia huic interpretationi exactissime consentire, eamque plenissime comprobare; sed etiam ipsius illius vaticinii verba singula, severissimo examini subiecta, non posse nisi de solo Messia capi, eumque virginis integræ & intemeratæ filium asserere. Insperimus etiam passim, quæ diluendis ludæorum aliorumque nonnullorum adversus interpretationem hanc objectionibus sufficere possunt. Atque hoc ipsum etiam cum dudum integris libellis præstiterint plures *) viri doctissimi, & Theologi atque Philologi præstantissimi, facile superfedere potuissemus omni opera adjiciendi quidpiam hætenus dictis. Cum tamen impius ille empacta religionis Christianæ, Antonius Collinus, denuo magna cum præfidentia ausus sit veritatem interpretationis lacerare, & luci vaticinii hujus nebulas offundere: non prorsus actum agere videbimur, si difficultatum ab ipso in manifesta veritate nexarum, & nodorum in scirpo quæditorum, vanam operam indicaverimus. Licet enim etiam nihil attulerit, quod non in aliis dudum confutarint viri eruditissimi; licet etiam ipsius gerras tricasque abunde dissolverint, ex Anglis imprimis, viri plures magnæ eruditionis & insignium meritorum laude florentes: **) cum tamen horum scripta nostris in terris ad paucissimorum manus pervenerint (uti nec nobis ipsis hætenus sunt conspecta) non vero desint, quandoquidem latius semper serpat virus prævæ doctrinæ, quam antidotorum cognitio & usus, qui Collinianis inducti næniis, aliquod adhuc pondus antiquis contra veritatem argutationibus statuunt: nostrum esse existimavimus, & quod saltem nonnulli adhuc a nobis jure quodam exigere possent, ut vindicias aliquas subnectamus assertæ veritatis adversus illas, toties quamvis confutatas, objectiones. Id quod etiam, invocata sinceris precibus

cibus spiritus sancti luce & gubernatione, paucis exequemur. Tanto brevioribus enim nobis hic esse licebit, quo clariore luce veritas jamiam exsplenduit, & a doctissimis ejus vindicibus dudum fuit demonstrata.

*) Ex quam plurimis, qui prostant, memorabimus imprimis, quæ in præsentis nostro opusculo contulimus, Samuelis Bohlii *Commentarium Biblico-Rabbinicum ad orationem III. Esaie*. Stedini 1636. in 4. Casp. A Lilien *de Messie nativitate ex intemerata virgine*. Witteb. 1651. Joh. Deutschmanni *de conceptione & nativitate temporali Messie*. Witteb. 1664. Joh. Sauberti *de Haalma matre Immanuelis*. Helmst. 1664. Joh. Christophori Wagenfeilii *de dicto classico*, Jef. VII, 14. Altorfi 1678. Sam. Andreæ *de nativitate Immanuelic*. Marpurgi 1679. Dav. Clodii *de conceptu & partu virgineo*. Giessæ 1685. Pauli Antonii *Commentarium Matthæi in vaticinium Jesaie de Immanuele*. Halæ 1698. Joh. Andr. Danzii *de Partu virginis miraculoso*. Jenæ 1700. Joh. Marckii *Vaticinium de Himmanuele ex virgine nascituro in signum divinum, illudque in IESV Nazareno impletum esse*. quæ in Viri hujus Celeberrimi dissertationibus Philologico-Exegeticis est diff. XV.

**) Tales memorat Meritiss. Gœttingensis Theologus Joach. Oporinus, in doctissima commentatione *De Firmitate ac inspiratione divina demonstrationis novi ex veteri Testamento evangelica* (quæ, dum typographus præsentis hujus opusculi differt impressionem, interea ad manus meas venit) p. 36. Guilielmi Gardinerii librum: *A literal exposition of two remarkable prophecies in the old Testament, Es. VII, 14. Deut XVIII, 15*. Lond. 1728. in 8. & Joh. Greenii: *Letters to the Author of a discourse of the grounds and reasons of the Christian religion*. Lond. 1716. 8. &, quem imprimis laudat, Carev Reynelli concionem latinam 1724. in 4to editam: *Prophetia de Messia, præsertim vero illa de Immanuele, in IESV, ad literam impleta*.

§. 2.

Antequam vero figillatim expendamus, quæ Col-
 linus circa præsens vaticinium attulit, non sine animad-
 versione prætermittendum est generale institutum, quod
 in suo libello vaferrima malignitate exequitur homo impi-
 us, ut omne fundamentum Christianæ religionis subru-
 at. Assumit & approbat dogma dudum a Theologis sin-
 ceris passim declaratum, novum Testamentum fundari
 in veteri Testamento; agnoscit apostolos demonstrare
 Christianismum in veteri Testamento fundatum esse, &
 vetus Testamentum esse canonem Christianorum. Ad-
 dit vulgarem & necessariam esse methodum, qua novæ
 revelationes construantur & fundentur in revelationibus
 præcedentibus, & contendit invicto Christianismum
 fundamento niti, si validæ sint istæ demonstrationes,
 ruinosum autem & falsum esse, si illæ non valeant, &
 debilibus nitantur argumentis. Post hæc autem omnem
 suam impendit operam, ut evincat demonstrationes istas
 omnes non esse nisi typicas & allegoricas: ita ut nus-
 quam in veteri testamento disertæ, directe de Christo
 & de Christianismi rebus agentia, exhibeantur vaticinia;
 sed quæ de aliis quibusque illorum temporum personis
 & negotiis loquantur, quæ vero in novo testamento
 tanquam typi per allegorias ad Christum accommoden-
 tur, & sic ex veteri testamento contendit demonstrari
 novum, & Judaicæ religionis fundamentis superstrui re-
 ligionem Christianam. Ita vero putavit homo nequis-
 simus, se penitus subruisse fundamenta Christianismi,
 eumque ruinosum falsumque ostendisse, quod tam inva-
 lidis debilibusque nitatur fundamentis. Ecquid enim
 delirum magis ac ineptum fingi potest, quam Salvato-
 rem mundi, verum Israelis regem ac promissum Messiam,
 ex veteri Testamento demonstrare; de quo nemo in ve-
 teri Testamento cogitaverit; saltem ea, quæ prophetæ
 de quibuscunque aliis agentes scripserunt, in typos mu-
 tando,

Dantur
 vaticinia
 V. T. de
 J E S U
 Christo
 directe
 agentia,
 absque
 allegoria.

tando, & allegoricis interpretationibus ad hunc Christum, tanquam de ipso praedicta & agentia, applicando? quis nisi mente captus & prorsus vaeors in Salvatorem ita demonstratum fiduciam aliquam collocaret, illumve qualicumque fide reciperet? quod si scripta veteris Testamenti nusquam Salvatorem directe promittunt, si prophetae de quibusvis aliis potius locuti sunt, quam de Messia & regno DEI per illum constituendo aeterno, unde quaeso illa universalis expectatio Messiae tempore JESV Nazareni in tempore versantis? unde habent hodierni Judaei, quod etiamnum Messiam expectant? hoc cine ex allegoriis apostolorum sibi demum persuaderi passi sunt? ineptit manifeste Collinus & insanit, hoc si dixerit. Agnoverunt igitur Judaei veteres, & agnoscunt hodierni, in veteri Testamento diserte praedicta de Messia, & immediate de illo agentia, absque allegorica ad illum accommodatione, eius personam, officium, & opera docentia: quantumvis hi multa vaticinia secus interpretentur, cum primis in novo Testamento allegata, & quae Christiani doctores ab omni tempore adversus illos urserunt, quam eadem ab antiquis ipsorum maioribus intellecta fuerunt: ut veritati Christianae religionis magis obstrepant. Equidem non negamus, per multiplices typos & personarum & rerum, indicatum esse in veteri Testamento Christum, & varios ejus status, diversaque officia adumbrata esse, totamque regni ejus spiritualem indolem elegantissime praesignificatam & quasi depictam eis exhiberi *) Hi tamen ipsi typi in veteri Testamento cogniti extiterunt, tanquam ad Christi agnitionem ducentes. Cuncta veteris Testamenti sacrificia, & universus cultus Leviticus, tota tabernaculi Mosaici & templi Salomonei compages, non aliam ob causam nec alium in finem sic ordinata fuerunt & instituta, quam ad praesignificandum & depingendum Christum ac universum ejus regnum. Hoc enim quam maxime

me

me sacerdotum doctorumque in populo Israelitico videtur fuisse, ut quid in singulis sacrificiis, in singulis ceremoniis cultus Levitici, in singulis partibus tabernaculi ac templi significetur ac præfiguretur, de expectandi Messiae persona, officiis, regno, statibus, & operibus, edocerent omnes ac singulos. **) Sic etiam Zion & Hierusalem infinities in ipso veteri Testamento tanquam typus regni Christi spiritualis sistitur. Atque si personarum typos spectemus, Melchisedecus tanquam typus Christi sacerdotis indicatur Ps. CX, 4. David toties typus Messiae esse docetur, quoties ipse Messias David nuncupatur. v. g. Ez. XXXIII, 23. XXXVII, 24. 25. Hof III. 5. Jer. XXX, 9. Sed non tamen typis tantum in veteri Testamento adumbratus est Messias, verum etiam disertis vaticiniis promissus. In paradiso statim promittebatur tanquam verus homo, ex folio tamen mulieris femine generandus, contriturus caput serpentis, & ab hoc in calcaneo lædendus. Abrahæ, Isaaco & Jacobo sæpius promittebatur tanquam ex ipsorum progenie proditurum semen, in quo omnes gentes totius mundi benedictionem sint accepturæ. Gen. XXII, 18. XXI, 12. XXVI, 4. XXVIII, 14. Judæ promittebatur a vaticinante Jacobo tanquam Schilo pacificus. Gen. XLIX, 10. 12. Mosi promittebatur tanquam propheta omnibus audiendus. Deut. XVIII, 18. Davidi promittebatur tanquam rex æternus, ipseque DEI filius, hominum virgis cadendus. 2. Sam. VII, 12. 15, quem igitur prædicat hominem, qui sit dominus Jehovah v. 19. Item Ps. II, XLV, LXVIII, LXXII, LXXX, LXXXVII, illustra sunt de Messia vaticinia. Sic dicitur Messias germen Davidis justum, qui sit Jehovah justitia nostra, Jer. XXIII, 5. 6. XXXIII, 14. 15. Promittitur ex Bethlehem oriundus, Mich. V, 2. Promittitur præcursor ejus Elias, Malach IV, 8. Hæc & innumera alia diserta extant de Messia vaticinia in veteris Testamenti codice, quæ

quae absque allegoria illum directe praedixerunt, quae etiam ex communi Ecclesiae Israeliticae sententia de Christo intelligebantur, ut & JESVS ipse & discipuli eius ad ea potuerint provocare, tanquam ad irrefragabilia testimonia, idem ex communi Ecclesiae fide atque confessione praedicentia de Messia, quod in ipso JESV viderent esse impletum. ***) Invenimus ipsos etiam Judaeos passim agnovisse directe agentia de Christo vaticinia. Herodi regi synedrium absque haesitatione respondebat, Micham locum nativitatis Christi indicasse *Betlehemum*. Matth. II, 5. 6. Philippus Nathanaeli dicebat Joh. I, 46. *quem scripsit Moses in lege, & prophetae, invenimus, IESVM, filium Iosephi, illum ex Nazareth.* Populus ipsi JESV obiebat, Joh. XI, 34. *nos audivimus ex lege, quod Christus maneat in aeternum.* Innumeri JESVM cum vellent confiteri Messiam eum appellabant *Filium Davidis*, agnoscentes, Messiam, ipsum fuisse Davidi promissum, tanquam ex eius progenie nascendum. Matth. XVII, 10 discipuli memorant scribas dicere, *quod Elias debeat prius venire, quam nempe Christus veniat.* An hosce omnes dicet Collinus dicta in Mose, prophetis, ac psalmis, de quibuscunque aliis agentia, adhibuisse, ut per allegorias inde effingerent sibi & imaginarentur Messiam? Ne per febrim quidem tale delirium cuiquam in mentem venire poterit. Sed non primus est Collinus, qui technis huiusmodi Christianismum evertere suscepit. Jam olim idem artificium adhibuerunt obtrectatores Christianae religionis, pagani Philosophi. Celsus, Epicureus Philosophus, in opere bipartito, quod Seculo II. adversus Christianam religionem, sub titulo *λόγος ἀληθείας* edidit, Iudaeum introducit, ad eos, qui ex populo crediderunt, loquentem, prophetias, qui ad hunc JESVM referuntur, posse aliis etiam accommodari negotiis; uti legimus in Origenis opere contra Celsum. Lib. I. p. m. 39. In eo tamen Collinus Celso adhuc deterior est, quod
 hic

hic unum adhuc prophetam memoret discrete de Christo prædicentem, cum Judæum suum introducat dicentem: *meus vero propheta olim Hierosolymis cecinit venturum DEI filium, piorum judicem, injustorum punitorem.* vid. ibid. p. 40. quo Davidem forte, vel nostrum Jesaiam indigitare voluit. Origenes autem, licet is quam maxime allegoricis divinarum literarum interpretationibus delectatus fuerit, easque in ecclesiam introduxerit, scribit tamen l. c. p. 39: *primum igitur respondendum est, multos prophetas variis modis prædixisse de Christo, alios per anigmata, alios per allegorias, aliisve modis, quosdam discretis verbis.* Et eorum, qui discretis verbis de Christo prædixerunt, hæc allegat vaticinia, Mich. V, 2 Genes. XLIX, 10. Jer. XLII, 4 XLIX, 8. 9. LII, 13. LIII, totum Ps. XLV, 3. seqq. quæ pluribus ostendit nonnisi ad JESVM nostrum posse applicari.

*) Non etiam negamus aliqua apostolos indicasse per allegoriam de Christo esse interpretanda. Paulus duos filios Abrahamæ, unum ex serva, alterum ex libera, docet ἀλληγορούμενα significare duo testamenta. Gal. IV. 24 seqq. Isaacum Christi typum Abrahamo exhibuisse docet apostolus ebr. XI, 17-19.

**) Vt perpetua vox audiretur docentium se invicem: *agnoscite Dominum Messiam, illum qui est Jehovah justitia nostra, in hoc sacrificio, in hac ceremonia, in hoc propitiatorio, in hac foederis arca, in hoc altari, in isto candelabro, imo in hac & illa persona, sic & sic præsignificari, depingi, adumbrari.* Ita enim discrete Jer. XXXI, 34, prærogativa novi testamenti præ veteri in eo futura docetur, quod non amplius unus alterum, nec frater fratrem docturus sit dicendo, *agnoscite Dominum, sed quod omnes tunc agniture sint, & coram quasi, absque typis & figuris, reipsa exhibitum conspecturi sint illum, quod condonaturus sit iniquitates eorum, & peccatorum non amplius*

Y

recor-

recordaturus. Certe enim, cum in novo Testamento adhuc doctorum officium obtinere debeat, in extituris integris exercitiis evangelizantium Ps. LXVIII, 12. Eph. IV, 11, discrimen a veteri Testamento non est, nisi in eo, quod nunc non necesse existat docere, quid in obscuris typis præsignificetur, & explicare figuras Messiaë, sed ipsum Messiam nunc manifestatum exhibere clare conspicendum & facillime agnoscendum in suis dictis factisque, ut omnes ipsum coram videntes & audientes existant Θεοδιδάκτοι, non per homines demum figurarum explanatione docendi; imo ipsos antiquos typos figurasque nunc luce sua illustrantem; ut omnes videant gloriam ejus, gloriam unigeniti a patre, habitantis in nobis, pleni gratia & veritate.

***) Certe discipuli Christi sæpissime hoc, imo perpetuo, absque ulla allego-riarum mentione, asseruerunt. Sic Petrus 1. Ep. I, 10. 11. *de illa salute (in revelatione JESV Christi obtingente) exquisiverunt & perscrutati sunt prophetae, qui de isthac in vos gratia prædixerunt, scrutantes, in quod & quale tempus manifestaret spiritus Christi, qui in ipsis erat, testans illas in Christum passiones, & hos post illas honores.* Et Act. X, 43: *Huic JESV testimonium perhibent omnes prophetae, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnem credentem in eum.* Sic Paulus Act. XXVI, 22. 23. coram Agrippa rege profitetur, se in hanc usque diem *nihil loqui extra ea, quæ prophetae dixerunt futura esse & Moses, an passionibus subfit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum, lucem annunciaturus sit huic populo & gentibus.* Et Rom XV, 8 dicit *JESVM Christum, diaconum factum esse circum cisionis sive Judæorum, ad stabiliendas promissiones patrum, sive patribus factas.* Et uti in epistolis suis vaticinia veteris testamenti frequenter allegat, ita cum primis in Ep. ad Ebræos quam plurima excitat vaticinia de Christo, absque ulla allego-riarum mentione, tanquam inter Ebræos consensu omnium de Christo agentia: non certe ausurus allegare, quæ novisset ipsismet non de Christo explicari: cum de doctrina Ecclesiæ suæ

suæ

suæ uberrime ipsi constaret, instituto in schola Gamalielis, eruditissimi & summæ auctoritatis inter suos doctoris. Hinc absque hæsitatione, tanquam de Christo, & rebus novi testamenti, ex communi consensu loquentia vaticinia allegat, Ps. II, 7. 2 Sam. VII, 14. Ps. XCVII, 7. XLV, 7. CII, 26. CX, 1. seqq. VIII, 5. 6. 7. XXII, 23. Jes. VIII, 17. 18. Jer. XXXI, 31. 32. Ps. XL, 7. sqq. &c. Vnde & Ebr. III, 1. scribit: *Quare, fratres sancti, vocationis cælestis consortes, considerate apostolum & summum sacerdotem confessionis nostræ, hoc est quem communi consensu ex vaticiniis antiquis confitemur, Christum JESVM, hoc est, Messiam, quod ipse JESUS ille sit. Sic & Apollo dicitur Act. XVIII, 28. sonore Judæos penitus convicisse, publice demonstrando per scripturas, JESVM esse ipsum Christum. Quod certe fieri non potuisset, nisi talia scripturarum veteris testamenti dicta protulisset, de quibus inter Judæos pleno consensu constitisset, illa de Christo agere, & nisi ista ipsa in JESV Nazareno impleta esse ad oculum demonstrasset. Quam maxime autem Matthæus in tota sui Evangelii historia id egit, ut ea, quæ de Christo in veteri Testamento prædicta fuerant, ostenderet in JESV esse adimpleta. Vbi, cum Judæis primo suum illum librum dicaverit, ut veteres tradunt, neutiquam censeri potest attulisse alia, quam de quibus dubium tunc non esset inter suos, ea de Christo esse prædicta. Sed & ipse JESVS Salvator noster non tantum discipulis suis sæpius inculcavit, de se locutos esse prophetas, legem, & Psalmos, Luc. XVIII, 31. 33. XXIII, 26. 27. 44. 45. verum etiam ipsos Judæos ad scripta de se agnoscenda revocabat, Joh. V, 39: *Scrutamini scripturas, quia ipsi vos existimatis in illis vitam eternam habere, & ipse sunt quæ testantur de me. Et vers. 46: Si Moysi crederetis, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Sic in synagoga Nazarena, cum prælegisset vaticinium Jes. LXI, 1. 2. 3. dicebat: *hodie impleta est hæc ipsa scriptura in auribus vestris, Luc. IV, 17. 18. 19. 21. Et Pharisæis Luc. XX, 42, tanquam irrefragabile proponebat, de Christo locutum esse Davidem Ps. CX, 1: dixit dominus domino meo, sede a dextris meis.***

§. III.

*Matthaeus
Jesaiæ
vaticinium
allegavit
absque
allegoria*

Inter hæc diserte ac tantum de Messia loquentia vaticinia etiam nostrum Jes. VII, 14, referendum esse, vel sola Matthæi allegatio sufficienter potuerat demonstrare, nullam allegoriæ mentionem faciens. cum præsertim ad Judæos sui temporis de JESV convincendos, quod is ipse prædictus Messias existat, evangelicum istud volumen scribens, non ausurus fuisset vaticinia recitare, quæ non ipsi tunc de Messia prædicta esse consensu quodam statuissent. Hoc enim nisi fecisset, prodidisset potius & ludibrio exposuisset doctrinam de JESV vero existente Messia, quam asseruisset. Quod de Matthæo Judæo, nec illiterato, sed dubio procul doctrinarum gentis suæ non ignaro, publicano quippe (quod officii genus Romani non de fæce plebis hominibus, non stupidis ac prudentia carentibus, credere soliti sunt) nemo non ipse delirans præsumet, si vel ipsum humano saltem consilio hoc opus aggressum existimaverit. Et quo magis Judæis invisus esse poterat, tanquam olim publicanus, tanto magis censendus est argumentorum irrefragabili pondere voluisse scriptum suum munire, cum nosset illud ex personæ suæ existimatione Judæis contemptui potius futurum, quam auctoritatis quidpiam sortiturum esse. Nec nobis officit, quod sequiori tempore Judæi, in hunc usque diem, hoc & alia in scriptis novi testamenti de Christo allegata vaticinia, in alienos sensus detorqueant. Quo enim contradicendi libido homines non compellit? Imo videtur Spiritus sanctus quam maxime illa in scriptis apostolicis & evangelicis allegasse vaticinia, quæ prævidit omniscius, quam maxime ab adversariis aliorum detortum iri. Sed hæc omnia non pensitans Collinus corradit, quæ dudum ab aliis protrita fuerant, & nihil non tentat, ut probet vaticinium hoc de iuvenula quadam in diebus Achasi filium

lium

lium enixa agere, & non posse de Messia secundum literam capi. Ad hæc enim duo capita redeunt, quæcunque Collinus voluit oggannire. Quæ licet in præcedentibus hujus nostræ commentationis capitibus satis jam subruta & eversa fuerint, ne tamen quid omisisse videamur, vel vim argumentorum ejus formidasse, nolimus laborem subterfingere recensendi argumenta Colliniana, ut tanto magis eorum imbecillitas omnibus pateat.

§. IV.

Primæ classis argumenta, quibus probat Jesaiam saltem agere de adolescentula in diebus Achasi filium enixura, satis habet Collinus strictim saltem inculcare, referendo ea quæ apud Jesaiam leguntur. Vbi I.) annotat Jesaiam missum fuisse ad consolandum Achasum ejusque populum adversus foedus Syri & Pekachi. Admittimus istud; & addimus, consolationem illam nihil aliud egisse, quam ut metum eximeret decretæ a confœderatis regibus vastationis terræ Judaicæ, & everisionis domus Davidicæ, & ut ad fiduciam in solo DEO collocandam hortaretur, unde etiam a foedere cum Assyriis ineundo avertere Achasum satagebat. Vtrumque non uno Jesaias argumento præstabat, sed pluribus distincte propositis; quæ temere confundere non debuerat Collinus. Inculcavit Jesaias α) instabilem regum confociatorum concordiam C. VII, 4. 5. qua sint quasi titiones caudarum in vulpeculis Simfonis, illæque nequidem ardentes, sed fumigantes saltem, indeque nec ignem quidem segeti Judaicæ, non damnum illi populo allaturæ, sed ipsis sociatis causa semet ipsos vexandi futuræ. Ad didit β) tanquam thema totius suæ orationis divinam promissionem disertissimam v 7, quod irrita sint futura sociatorum consilia. Duxit γ) ad stabilitatem domus Davidicæ & tribus Judæ, perenniorem, quam Rezinis

Vaticinium hoc, de Christo acceptum, servit Achaso.

& Pekachi familiae, ac Syrorum & Ephraimiticus populus possint durare. v. 8. 9. Porro *δ*) compulit ad petendum signum, quod nunquam non expetere debeant, & quotidianis precibus a DEO, ut tandem veniat, exoptare, quippe quod certissime venturum sit, quod DEVS infinities promittendo quasi fatigatus sit, & quod certo etiam sit suo tempore daturus, partum illum virginis, quem quotidie tanquam Immanuelem invocent, & qui quo tardius veniat, eo diutius domus Davidica & populus Judaicus non possit non servari. v. 10-14. Adjecit *ε*) promissionem de terra sancta non vastanda, sed quae lacte & melle fluere debeat usque ad Immanuelis illius adventum. v. 15. Junxit *ς*) novam promissionem de terra regum hostium ab ipsis deferenda, idque ante Immanuelis adventum. v. 16. Subdidit *ζ*) argumentum ab ineundo cum Assyriis vel Aegyptiis foedere abstrahens, quod omnis terrae Judaicae calamitas, quae deinceps eventura sit, ab illis sit futura, & quam maxime ab Assyriis, ut tamen nihilominus lactis atque mellis abundantiam terra sit habitura, usque ad Immanuelis adventum. v. 17-25. Commemoravit *η*) aliud signum jam antea a DEO datum, quod intra paucissimorum annorum tempus terra hostium a suis regibus, juxta datam v. 16. promissionem, deferenda sit, nempe in filio prophetissae exhibitum, qui ideo nominari debuerit Maherschalal chaschbas; excitans rei ita gestae duos testes omni exceptione majores. Cap. VIII, 1-4. Non repetam argumenta reliqua, supra Cap. I, in analysi orationis Jesaiae uberius enarrata. Patet vero hinc, scopum legationis Jesaiae ad Achasum, ut eum adversus foedus Rezinis & Pekachi consolaretur, plene obtineri potuisse sermone prophetæ ad illum regem, tametsi hoc in expectando adhuc Messia datum signum non sufficeret ad obtinendum illum scopum: cum illud non unicum sit argumentum abjiciendi metus, sed plura ad eundem scopum alia sint conjuncta. Cum tamen

Mef.

Messias nasci non debuerit, nisi ex familia Davidis, nec nisi in terra Judaica, nec nisi inter Judæos officium suum exequi: inficiari non poterit Collinus, signum in se-ro adhuc nascendo Messia datum suggestisse Ahaso efficacissimum solatii argumentum adversus minas confœderatorum regum, quoniam eum certum reddebat convincentissimo documento & pignore, non posse excindi familiam Davidis, ac populum Judaicum, neque dirui terram Judaicam, quamdiu Messias nondum esset natus; quod temere igitur & incassum minati fuerant hostes confœderati.

§. V.

Pergit Collinus II.) dicens Jesaiam missum, ut post hæc signo vel miraculo Ahasum ejusque populum certiores redderet, quod hostes ejus mox sint disturbandi. Quæ Collini verba simplici tali narratione lectori inad-vertenti facile imponere possent, ut in errores abripiatur. Verum est, missum ad Ahasum Jesaiam etiam illud in mandatis habuisse, ut compelleret regem ad signum petendum fidei promissis faciendæ idoneum, & ut indicato illo signo adstantes certiores redderet de confundendis & neutiquam metuendis consiliis ac minis hostium. Vti patet ex C. VII, 10. - 14. Imo & ut eosdem alio jam ante, præsentibus duobus testibus irrefragabilibus, edito vaticinio (quod tamen Jesaias nequaquam signum appellat) confirmaret de cito disturbandis hostibus. de quo C. VIII, 1. - 4. legimus. Sed vaferrime Collinus lectori non advertenti simul inculcare ausus est, non ex Jesaiæ verbis deprompta, sed ex proprio errore temere admista, α) quod Jesaias missus fuerit ad edendum signum, quo adstantes reddantur certiores de confundendis hostibus. Hoc enim statuere Collinum in sequentibus apertius proditur. β) Signum C. VII, 14. indicatum esse idem de quo C. VIII, 1. 4. refert Jesaias. γ) Signum, quo adstantes certiores fieri

Jesaias
ad Ahasum
missus non
fuit, ut
signum
vel miraculum
videret.

ri

ri debuerint, esse miraculum. Sed quod α) attinet, nusquam Jesaias hic dicitur missus ad edendum signum & miraculum. Quod enim v. 10. dicit dominum perrexisse loqui ad Achasum: *pete tibi signum*; eo non dicit se jussum esse signum coram Achaso edere; & v. 14. non dicit: ego dabo vobis signum; sed, *dominus ipse vobis dabit signum*. Quod attinet β) nullo idoneo argumento evinci potest, quod C. VIII, 1.-4. Jesaias signum ediderit, vel quod illud coram adstantibus ediderit, vel, si etiam hoc esset aliquod signum, quod id illud ipsum sit, quod C. VII, 14. dixerat dominum ipsum esse daturum. Si Jesaias in historia C. VIII, 1.-4. memorata vel semel saltem adhibuisset vocabulum נִסִּים , vel prophetissæ nomen עלמה tribuisset, posset Collinus cum aliqua specie veri duo istæc pro uno assumere. Sed nullum plane indicium dat Jesaias, quod nunc idem exhibeat signum, quod C. VII, 14 dixerat DEVM ipsum daturum esse; sed potius, ut se jam antea gesta coram rege nar rasse indicet, ad testes gestorum provocat C. VIII, 2. & addit v. 5. seqq. quæ DEVS tum perrexerit occasione partus prophetissæ ad ipsum loqui: neque verbulo docet filio prophetissæ competere nomen Immanuel, quod filio virginis competere C. VII, 14 docuerat, sed nomen prorsus aliud se filio prophetissæ conferre jussum memorat. Et revera, ut signum Cap. VII, 14 datum saltem certiores facere debuerat, non ante posse terram Judaicam dirui, quam filius virginis rejiceret malum & eligeret bonum: ita nomen filio prophetissæ datum ob alium finem fuisse refert, nimirum ut quam proxime instare interitum duorum regum adversariorum adstantes certificarentur. Quod attinet γ) uti non omne miraculum est signum, ita non omne signum existit miraculum: minime omnium ullo potest argumento colligi, quod Jesaias jussus fuerit miraculo aliquo certiores facere Achasum eiusque populum de veritate promissorum; nam neque illa, quæ C. VIII, 1.-4 propheta memorat, miraculum appellare Col-
linus

linus ausus est. *) Atque licet partum virginis maximum esse miraculum nemo negaverit, non tamen ille C. VII. 14 tanquam miraculum datus fuerat in signum, sed quatenus ille ex infallibili & multoties repetita promissione divina expectandus erat. Vnde signum irrefragabile habebant omnes, non posse familiam Davidis deleri, nec terram Judaicam devastari, antequam ille virginis filius fuisset natus. Ipse vero etiam Collinus ne quidem miraculum hoc agnoscit, cum Immanuelem neget esse virginis filium, sed mulieris adolescentulæ tempore Achasi e congressu maritali imprægnatæ & parientis. Nullo igitur argumento Collinus in verbis Cap. VII, 14 signum vel miraculum quærendum voluit, ad quod exhibendum Achaso & ejus populo, in eorum certificationem, Jesaias fuerit missus.

*) Ita etiam *Jekuthiel Ben Isaac Bliz*, in sua versione Germanica, pluribus ostendit, voc. מוֹתוֹן non significare h. l. miraculum. Vid. *Celeberrimi Lubecensium Præsulis, D. I. Gottlob CARPZOVII Critica Sacra V. T. pag. 764. seqq.*

§. VI.

Sed videtur Collinus III.) præsidium sententiæ suæ in eo locare, quod referat Jesaiam, detrectanti regi signum postulare, dixisse Cap. VII, 14: *DEVS dabit vobis signum*; & cum signum memorasset, qualenam futurum, addidisse v. 16, *antequam puer ille noscet rejicere malum & eligere bonum, derelicta erit terra a duobus illis regibus.* Atque vero, si vel concederemus, quod præsentibus eo tempore tantum dictum fuerit, *dominus dabit vobis signum*, non tamen sequeretur, ut inde colligamus ipsum filium virginis debuisse in diebus illorum hominum nasci: sed constabit promissioni divinæ sua certitudo, etiam in illa ipsa hora signum in filio virginis Achaso exhibens, non posse stare nec evenire consilia minasque adversariorum, quamvis ipse filius virginis post plura demum secula nasci deberet. Quo
Messias
post plu-
ra seculæ
nascen-
dus si-
gnum est
in diebus
Achase
validum.
Z
diu-

diutius enim abfuerat tempus nativitatis Immanuelis, eo præstantius erat hoc signum Achaso, non posse illo suo tempore extirpari ejus familiam, sed tanto diutius duraturam necessario, quo serius expectanda esset nativitas illius Immanuelis. Futurum autem יִבְרָאֵל dabit, si etiam de tempore in diebus Achasi proxime secuturo capiendum contenderit Collinus: non tamen id evincere poterit, quod ipse filius virginis eo promittatur in diebus Achasi futurus, sed saltem, quod signum in illo DEVS sit constiturus in diebus Achasi. Ut verborum Jesaiarum sensus hic sit: Dominus ipse vobis dabit signum, quando tu Achas, & qui tecum adstant, vestris oculis conspicietis, tempore quo evanida videbitis hostium adversus vos consilia, filium virginis toties promissum & nondum tamen natum, perpetuum vobis signum esse, non posse deleri Davidis domum, nec terram Judaicam vastari: tunc, inquam, demonstrabit vobis DEUS novo specimine, in hostium vobis excisionem minitantium interitu, non futuram esse vestri vestraeque terræ excisionem, antequam ille Immanuel venerit, qui tamen tam propinquus nondum adest. Frustra autem objiciet Collinus, non posse signum dici dari, nisi re existente, quæ signum præbet, nec posse rem, quæ signum præbere debet faciendæ rebus promissis fidei, tardius evenire, quam ipsæ illæ res promissæ. Contrarium enim ipsa rei huius, nempe filii virginis Immanuelis, indoles & natura evincit, quod nempe ille non potuerit non signum certissimum existere, quamdiu nondum natus fuerit, & usque dum nascatur, quod non possit excindi familia Davidis, nec vastari terra Judaica; α) quia infallibilis sit DEI promissio de filio illo virginis, ut non possit non certo tandem nasci, quia DEVS promittens non mentiri potest β) quia DEVS promiserit ex familia Davidis oriri ac nasci debere illud semen mulieris. γ) Quia in ipsa illa terra ad populum suum venire idem ipse Immanuel promiserit. Manifeste igitur signum infallibile est is ipse virginis

nis

nis filius (& quidem ob id ipsum, quod nondum venerit, nec in diebus Achasi venire debuerit) rei, de qua ipso Achasi tempore constare debebat omnibus, nempe quod non possit Achasi tempore excindi familia Davidis, nec terra populusque Judæ, sed potius omnes identantes hostes disturbari atque excindi debeant. Præterea autem non infrequens est, in signum constitui rem, eventu posteriorem re illa, cujus signum esse debebat, idque ob infallibilitatem promissionis divinæ, ut Cap. II. jam monstravimus. Ita vidimus DEVM per Jesaiam Hiskiaæ regi signum excindendi, & quidem illa ipsa nocte, ut historia docet, exercitus Assyrii constituisse 2 Reg XIX, 29. Jes. XXXVII, 38, quæ velit ipsos comedere deinceps hoc, & proximo, & tertio anno. Sed victus futuri temporis non poterat signum esse ejus quod proxima nocte fieri debebat, nisi ob veracitatem dicentis & promittentis illa DEI. Sic Mosi Exod. III, 12. signum divinæ vocationis jamjam factæ constituitur cultus sacrificiorum ad montem Horeb offerendorum post educationem populi ex Aegypto futurus. Ceterum nequam tamen negligere debuerat Collinus, quod ipsa divina verba apud Jesaiam manifeste indicent, ea non ad solum Achasum & illo tempore viventes prolata esse, sed ad totam domum Davidis. Ita enim Cap. VII, 13. DEVS diserte sermonem ab Achaso deflexerat ad totam domum Davidis: *audite queso domus Davidis.* Davidis autem domus non tantum illo tempore viventes completebatur, sed & omnes deinceps per tot secula futuros in progenie Davidis, usque dum nasceretur promissus virginis filius. Ita vero futurum ⁱⁿ nullo modo evincit, quod in diebus Achasi nasci debeat filius virginis, sed quod domui Davidis ille certissime nasci debeat, tametsi post plura demum secula nascatur: indicat autem filium illum virginis in perpetuum dari signum domui Davidis, quod ipsa nequeat deleri, quamdiu is nondum fuerit natus: & constat, quod jam suo loco notavimus,

verba futura Hebræis sæpe actus continuationem & perpetuitatem, una cum ejus certitudine connotare. Vt sensus sit: Dominus ipse pergat vobis dare signum, quod jam toties ad fatigationem usque dedit. Vbi tamen, si quis contenderit DEVM peculiari hac determinatione eundem virginis filium constituere in signum certitudinis de nunc etiam disturbandis hostium consiliis; non refragabimur: nec inde Collinus quid lucrabitur: licet scopus orationis Jesaiæ in hac ejus parte id nondum exigere videatur. Quod autem v. 16. additur: *antequam puer hic noscet reprobare malum & eligere bonum, derelicta erit terra, quam aversaris, a suis regibus*; si vel de filio virginis dictum capiatur, non tamen cogit statuere, quod filius virginis nasci debeat, antequam terra hostium suis regibus eripiatur: sed sat prægnans causa erat inferendi verba isthæc orationi hoc in loco, 1.) ne existimetur tam propinqua esse natiuitas Immanuelis quam interitus hostium. 2.) ut tempus excidii hostium non expectetur demum tempore natiuitatis Immanuelis, quem ex vaticinio Jacobi Patriarchæ constabat tunc nasci debere, quando sublatum esset sceptrum a tribu Juda. 3.) Vt iudicium pueri Immanuelis in terram Judaicam distinctum esse doceatur a iudicio divino propinquo adversus reges aversarios. 4.) ut transitus sermonis commodus fiat, ad edisserendum, quomodo eventurum sit, ut domus Davidica omni sua regia potestate privetur, & terra Judaica affligatur ab illis ipsis, a quibus nunc auxilium petere conetur Ahas; ut sublato a Juda sceptro & *αὐτονομίας* jure demum nascatur promissus Immanuel.

Male
confun-
ditur si-
gnum
Imma-
nuelis
cum filio
prophe-
tissa

§. VII.

Quod vero Collinus IV.) asserit, id ipsum Cap VII, 14. promissum signum dehinc Ahaso dari Cap, VIII, 1. seq. quando Jesaias assumtis duobus testibus, & ipsis præsentibus, cum illa virgine seu uxore adolescentula congressum maritalem exercuerit, quæ inde imprægnata pere-

pererit filium dictum Immanuelem: eo Collinus non nisi libidinem suam quidvis arripiendi prodidit, quod suo errori seruiat, licet verba scripturæ nihil quidquam de eo suggerant. Ita enim α) nullo argumento evinci posse, quod Cap. VIII, 1. sqq. exhibeatur idem signum, quod Cap. VII, 14 promissum fuerat, quin potius ex verbis prophetæ argui distinctissima hæc esse, ostendimus ante §. V. sufficientissime. β) Quis Collino revelavit, prophetissam hanc fuisse uxorem Jesaia? putat ne conjuges prophetarum dictas fuisse prophetissas, sicut hodie Magistrorum Magistras, Doctorum Doctorissas? & annon plures extiterunt prophetæ illo tempore? cur non alterius quam Jesaia conjux intelligetur? Sed dices γ) Jesaias non debuit congressum maritalem exercere, nisi cum propria conjuge. Vbinam vero mentio est congressus maritalis? scilicet verba: *cape tibi volumen magnum, & scribe super illud stilo hominis*, idem dicunt, interprete Collino eique consentientibus, quod, assume uxorem tuam & congrederere cum illa actu maritali. Et quidem Huetio forte, viro caeterum doctissimo, hujusmodi interpretationem suadere potuit clandestinus contemptus status conjugalis, quo ex præjudiciis ecclesiæ suæ tenebatur, ut putarit conjugalem actum non honeste verbis propriis indicari. Collinus vero tam perditæ deperit suam allegorizantem Delilam, ut non fatis habeat Novi Testamenti scriptoribus solis tribuere allegoricas dictorum veteris testamenti applicationes, sed etiam in ipsis veteris testamenti scriptoribus, circa illa, quæ aliquando ab apostolis in allegorias trahenda proposuerant, jam fingat allegorias. Judicet autem, quicumque uolet, annon magis aures honestas lædat Huetiana illa & Colliniana allegorizatio, *scribe stilo hominis in volumen magnum*, quam si dictum fuisset, *intra ad uxorem tuam, & gignas filium, cui hoc nomen dabis?* & quis tam inconditam allegorizationem in describendo actu maritali in scriptore pro-

fano toleraret, nedum in sacro, imo in ipsius DEI verbis, castissime semper loquentis, & auctoris conjugii, & illud omnibus honorabile esse jubentis? Quid vero δ) testibus opus habuit Jesaias ad actum maritalem exercendum? num forte incredibile videri potuerat Ahaso, virum ætate minime proVectum, qualis tunc Jesaias erat, cum uxore adolescentula consuescere? annon vero actus hujus, remotis arbitri testi, gestis omni exceptione major extitisset filiulus, post novem menses, juxta divinam prædictionem natus? Certe delirum est commentum fingere prophetam testes adhibuisse in congressu suo maritali. Gravissima autem testes adhibendi causa erat, ad probandum, ubicunque opus foret, 1.) quid, & quando propheta jussu DEI scripserit in volumine de puero nascendo. 2.) Quod ipso illo tempore, quo prophetissam adire jussus fuerat, illa in partu laboraverit. 3.) Quod illa prophetissa impulsu ejusdem spiritus, qui Jesaiam illic abire jusserat, non dubitarit illum cum testibus intrmittere, licet in partu laboraret. 4.) Quod nato filiolo prophetissæ propheta, ipsa non refragante, indiderit nomen Maher schalal chasch bas. 5.) Quod addito vaticinio rationem nominis illius prophetici jam tunc statim addiderit. Ecquis autem ϵ) Collino dixit, prophetissam illam fuisse *adolescentulam*? num id Jesaias ulla literula indicavit? imo vero, dices, ipsa est ista העלמה Cap. VII, 14 memorata. Sed 1.) Collinus gratis hoc asserit, non probat. 2.) Satis demonstratum est vocabulum עלמה significare mulierem nulli viro cognitam; nunquam autem viro nuptam; nullo modo ætatem respicere, sive adolescentula sit, sive ætate jam proVectior. Non igitur uxor Jesaiæ potuit esse, nec ullius viri alterius. Quod si prophetissa isthæc fuisset עלמה , & absque virili congressu peperisset, non certe id reticere potuisset Jesaias, utpote insigne aliquod miraculum. In eo autem Collinus 5.) se penitus effrontem ac impudentissimum

mum

mum exhibet, quod illum prophetissæ filium ait nominatum fuisse *Immanuelem*. cum non modo Jesaias nullam hujus nominis hic mentionem fecerit, sed & prorsus aliud nomen se prophetissæ filio dare jussum, & actu dedisse referat, & scripto volumine, ac duobus testibus confirmet. Vt vel hinc quam maxime patefcat filium prophetissæ alium esse & distinctissimum a promisso Cap. VII, 14 virginis filio Immanuele.

§. VIII.

Addit verò Collinus etiam V.) suæ sententiæ argumentum adhuc, quod ipse Jesaias extra controversiam ponat hanc ipsius sobolem esse illud promissum signum, cum Cap. VIII, 18. dicat, *ecce ego, & filii, quos dedit mihi Dominus in signa & miracula in Israel*. Sed cum sic Collinus statuere debeat, Cap. VIII, contentum, ultra novem menses post illum Cap. VII, totum sermonem propheticum esse prolatum, nec possit ex ipso verborum contextu ostendere, ubi, & ad quos, & quando ille sit habitus: unde probabit, quod Jesaias dicens, *ecce ego & filii mei sumus in signa & miracula*, respiciendum velit ad signum Cap. VII, 14 anno superiore datum? cum præsertim illic unicum tantum signum memoraverit, filium virginis Immanuelem, hic vero seipsum & reliquos filios adderet, de quibus nulla in præcedentibus facta fuerat mentio, quod ipsi debeant in signum existere. Deinde vero Jesaias Cap. VIII, 11, diserte indicat, non sua esse verba, quæ inde a v. 12. usque ad initium Cap. IX. proferuntur, sed ipsius DEI. Divina igitur est persona, quæ v. 18 dicit: *ecce ego & filii quos dedit mihi dominus, in signum sumus & miracula in Israel*. Cur non potius arguit Collinus, ipsum Jehovam hunc, Jesaiæ ista dicentem, esse & indicare se existere illud signum Cap. VII, datum, illum virginis filium Immanuelem? Et sic Paulus certe apostolus verba illa tanquam Christi verba allegat, idque ad Hebræos scribens, tanquam

Jesaias non se suosque filios dicit in signa & miracula datus Israeli

rem,

rem, de qua inter ipsos constet. Hebr. II, 13. Quod facere non potuisset, nec ausus esset, nisi scivisset, apud ipsos in confesso esse, quod illa verba sint Jehovæ Messiaë verba. Atque erat utique hic ipse Messias signum illud Cap. VII, 14. propositum: qui tamen hoc in loco se suosque filios alio etiam respectu dicit esse in signa & prodigia in Israel. Vti pluribus ostendimus in analysi orationis Jesaiæ ad Achasum, §. 23.

§. IX

*Nihil ab-
surdum in-
fert,
Messiam
fero na-
scentem
signum
dari
Ahaso.*

Quod ad Grotii consensum provocat Collinus, nos non moratur. Potuisset etiam aliorum consensum allegare, quod & alibi facit. Nostrum vero non est commenta variorum interpretum suscipere, ubi nusquam fere certum ponere pedem possemus in scripturæ cognitione: sed quid ipsa diuinarum literarum verba suggerant, scrutari, & pro veritate agnoscere. Progredimur potius ad secundam classem argumentorum Collini, quibus evincere conatur, non posse de Messia secundum literam dicta esse, quæ Jesaias Cap. VII, 14 de filio virginis Immanuele protulit. Vbi I.) absurditatis insinulat sententiam, quod Jesaias de JESV Mariæ filio dicta sua secundum literam protulerit: quia pugnet cum scopo signi, quod exhibendum erat: qui fuerit, ut Achasum convinceret Jesaias, quod a DEO nuncium ei afferat, ad ipsum certificandum, non successura esse duobus regibus, quæ contra ipsum moliantur. Quomodo, addit Collinus, virginis gravidatio & partus, post septingentos annos futuræ, signum potuisset præstare Ahaso? Sed nihil hic profecto absurdi, nihil est incongruum, siue molimina regum adversantium respicias, siue ipsum illum virginis partum, qui Ahaso in signum proponebatur. Molimina regum adversariorum erant, diruere terram Judaicam, & extirpare familiam Davidis, ut ex Cap. VII, 6 patet. Partus virginis Messiam enixu-

enixuræ fieri debebat in familia Davidis, in ipsa terra Judaica, existente illic adhuc populo Judaico, ceu ex innumeris jam antea factis promissionibus Ahaso totique ejus familiæ, & universo populo Judaico constabat. Erat igitur partus ille virginis Messias Ahaso ejusque familiæ, ac universo ejus populo signum maxime idoneum, & rei apprime congruum, non posse regibus adversantibus succedere sua adversus illum molimina. Si vel enim post bis mille demum annos nasci debuisset ille virginis filius, tanto certius tamen signum habebant Ahas & universus ejus populus, non posse tunc ab illis duobus regibus dirui terram, & populum Judaicum ejici, & familiam Davidicam deleri, cum hæc omnia adhuc ultra bis mille annos debuissent superesse. Tria autem potissimum nonnullos impedire videntur, quo minus signi hujus congruam aptitudinem perspiciant. α) Quod id putent signum debuisse præbere instantis propediem interitus regum infestantium; cum tamen signum saltem sit certificans, quod eis non successura sint sua adversus Judæos & Davidis domum eorumque terram molimina. β) Quod putent nunc demum a Jesaia, tanquam novum signum, prima vice annunciari partum virginæ; cum tamen is jam ante, inde a dato protevangelio, multoties annunciatus fuerit, & imprimis Davidi ejusque posteris frequenter promissus, tanquam ex ipsorum familia oriundus, ideoque illis perpetuum signum extiterit servandæ eo usque suæ familiæ: quod ipsum igitur signum DEVS hic saltem asseveratur certo ipse daturus esse. γ) Quod existiment Messiam in signum propositum esse, quatenus debebat esse virginis filius, miraculoso partu enitendus; cum tamen non tanquam virginis partus, sed tanquam adhuc expectandus & nondum natus in signum esse inculcetur; virginis autem filius dicatur, ex antiqua, & jam dudum Judæis cognita, de illo doctrina. sive potius mater ejus, mulier illa ex suo tantum semine, sine viri congressu, conceptura & paritura Im-

A a

manue-

manuelem illum, tanquam certo ex posteris Davidis promissa, & nondum tamen existens, sed tanquam adhuc expectanda, & post septem demum secula emergens, in signum sistitur. Finge tamen etiam rem se ita habere, & scopum DEI fuisse, nunc demum Messiam annunciatum proponere, quod tanquam miraculosus virginis filius suo tempore nascendus, nunc etiam Achaso debeat signum esse delendorum propediem regum adversariorum: neque sic tamen absurdum & incongruum illud signum esset putandum; quandoquidem ob veracitatem divinam sufficienter indicasset DEVM, qui illud miraculum partus virginei suo tempore exhibendum promittat manifeste maximum, multo facilius, nec minus certo, propediem extirpaturum esse per illam ipsam suam gratiam ac omnipotentiam, quam illo signo iis annunciet, reges illos duos interitum Achaso & ejus familiae ac populo minitantes. Sed non opus est, ut minus expeditam minusque claram hujus signi interpretationem comminiscamur: cum verba prophetica nihil quicquam suggerant, ex quo hunc talem signi scopum arguamus.

*Jesaias
negando
Messiam
signum
esse in-
stantis
proxime
interitus
regum
adversa-
riorum,
non ne-
gat eum
signum
esse va-
narum
minarum
eorun-
dem.*

§. X.

Urget vero Collinus II) absonum esse, putare prophetam Cap. VII, 16 dicere: antequam puer post septingentos annos nascendos discrimen boni & mali sciat, terra hostium derelicta erit a suis regibus: id quod potius illusio Achasi, quam signum fidem ejus firmans haberi potuisset. Atque certe, si his verbis Jesaias suum sermonem abruptisset, posset Collinus cum aliqua verisimilitudine urgere hanc objectionem. Cum vero verba illa transitum saltem faciant ad sequentem satis prolixum adhuc sermonem, quo doceat non tam cito expectandum in virginis illius partum, nec in florente & regio familiae Davidicae statu, licet durante tamen adhuc eo usque terrae quantumvis desertae foecunditate; citius autem

tem

tem longe hostes præsentis Achasi & populi Judaici delendos esse: nihil quicquam ea incongrui & absurdi habent, quod statim diserte moneant, terram hostium citius a suis regibus deserendam esse, quam nascatur ille, qui post septingentos annos nasci debebat. Nullum enim lusui aut ludibrio Achasi locum hic esse satis monstrabant, quæ statim edifferebat. Quam cito autem & quam propediem terra hostium a suis regibus deserenda sit, docebat Cap. VIII, 1. seqq. alio jam antehac sibi suggesto vaticinio revelata esse, cujus testes etiam irrefragabiles excitabat, & quo diserte indicabat, quam propinquo tempore sint delendi duo reges adversarii. Neque tamen eo vis signi Cap. VII, 14. in Immanuele virginis filio dati debilitabatur: quod urgendi prægnantissimam causam habebat infatigabilis DEI gratia, ut tolleret a populo suo diffidentiam ac infidelitatem & oblivionem promissionum de Messia, & ut notitiam ac invocationem Immanuelis in recenti omnium memoria, ac viva spe & fiducia conservaret.

§. XI.

Quæ interferit Collinus, III, ab opposito petita, quod certum vaticinium de puero, qui intra annum vel biennium nasci deberet, verum videatur esse signum, quippe quæ nativitas certo nunciari non potuerit, nisi a persona, cui DEVS id suggererit, & quæ propediem evenire debeat, unde clare indicatum fuerit divinum id esse signum, & omni scopo signi consentire, & congruere hoc casu sapientiæ divinæ: ea nullius prorsus sunt momenti. Nam 1.) non de eo disputatur, annon DEVS aliud signum verum dare potuerit, idque certum, scopo omni consentiens, & sapientiæ divinæ congruum? quod nemo negaverit: sed, annon Messias sit hoc loco datus in signum certum, verum, scopo omni congruum, & sapientiæ divinæ consentaneum? quod cum suis objectionibus non oppugnare neque confutare potuerit

Signum quod Collinus fingit, non est signum a Jesaia nunciatum

Collinus, frustra aliud signum ille nobis obtrudere laborat. 2.) Quod Collinus verbis Jesaiaë obtrudit signum, nequaquam verbis prophetæ congruit; in quibus α) vocabulum העלמה nequaquam mulierem juvenulam viro nuptam, sed virginem incorruptam, nec viro cognitam notare, invictis argumentis demonstravimus. β) Nomen Immanuel nulli filio vel prophetæ vel prophetissæ datum memoratur: & cum Immanuelis terra esse dicitur Cap. VIII, 8, id filio prophetæ competere non posse, satis perspicitur. γ) Signum, quod Cap. VII, 14 propositum fuerat debere non tam cito existere, sed tunc, quando ab Assyriis & Ægyptiis domus Davidica graviter afflictæ, & terra Judaica factis per illos depraedationibus ac deportationibus mire deserta jaceat, ut tamen butyrum ac mel abundantissime adhuc sufficiat incolis, tunc superfuturis, quando filius virginis Immanuel in illa terra natus rejecturus sit malum, & electurus bonum; propheta prolixè docuerat tota reliqua parte Capituli VII, a v. 15 ad finem capituli: quod itidem non competere potuit filio prophetæ vel prophetissæ, qui intra biennium vel triennium debebat didicisse compellere matrem et patrem suum, quo tempore etiam terra hostium Achasi a suis regibus revera deserebatur, nondum autem per Assyrios & Ægyptios domui Davidicæ, & populo terræque Judæorum, tanta clades & calamitas illata fuit. 3.) Signum igitur Collini non omni scopo signi Cap. VII, 14. propositi consentit: & videtur ipse Collinus non multum roboris suo illi signo tribuisse, & quamvis illud asseveret nonnisi a DEO potuisse dari, revera tamen illudere saltem velle religioni, & prophetarum oraculis: cum solertiam humanam tale signum etiam suggerere posse persuasum sibi habuerit.

§. XII.

Certe profanam mentem suam satis prodit Collinus, III.) obiectans, necessariam esse vaticiniorum obscuritatem,

Vaticiniorum
divino-

tem, ut idonea habeantur ad finem adsequendum, quem habent, cum nimia claritas sapientibus illa redderet suspecta, ac si post eventum demum conficta fuerint: sicut obscuritas illa igitur regnet in omnibus prophetiis, sive illæ ethnicæ fuerint, sive Judaicæ, sive Christianæ, sive Muhammedanæ, modo illæ præcesserint eventum ad quem collimarint: unde critici fere collectionem Sibyllinorum oraculorum, quæ hodie supersunt, rejiciant, quia nimis clara illa existant. En proteruam hominis impietatem, revera omnia vaticinia, saltem omnem eorum vim ac robur, e religione eliminare conantem. 1.) Tollit enim eo ipso omnium vaticiniorum vim, dum, quæliacunque sint, non nisi inania verba reddere docet. Si enim obscura sint, licebit ea cuicumque eventui applicare, ut re ipsa nihil prædixerint, quia omne prædixerunt, quidquid ingenium interpretantis eis prædictum comminisci potest: Si clara sint, suspicionem præbent sapientibus Collinianis, conficta illa esse post eventum. 2.) Quod istis sapientibus jus competit clara vaticinia post eventum conficta decernere, idem eis competit obscura etiam post eventum conficta statuere, attamen solertius conficta, ne statim pateat post eventum conficta esse. Hoc certe vult Collinus, necessariam asserens obscuritatem vaticiniorum, ne pateat ea esse post eventum conficta. Collino igitur iudice nulla sunt vaticinia nisi post eventum conficta, 3.) Attamen licet hoc forte de Judaicis & Christianis vaticiniis diserte statuere non erubuisse, cum tamen de gentilibus & Muhammedicis (quæ vero ubi exstent, ipse noverit) plus metuerit negare, quod ante eventum fuerint prolata; concedit ut statuamus, etiam Christiana quædam & Judaica vaticinia ante eventum esse prolata; ne æquiores se illis quam his iudicem exhibere cernatur: obscuritatem tamen utrisque necessariam fuisse asseuerat, eandem omnium indolem & naturam autumans, sive a Satana gentium ora-

*rum nul-
la est in
ipismet
obscuri-
tas, ne-
dum ne-
cessaria.*

culis praesidente, & Muhammedanos prophetas agitante, five a fraudulento illorum sacerdote fuerint exhibita; five a Numine omniscio, quale Judæi & Christiani venerantur, promulgata. cum eodem loco Apollinem, & Orphea, & Sibyllam, & Christianorum DEVM habent stultus, dicens in corde suo: non est DEVS. Et cum irrefragabile videret gentium & Muhammedanorum vaticinia esse obscura imo ambigua, ut non potuerint non impleri, quidcunque eveniret: eandem obscuritatem Judaicis & Christianis vaticiniis necessariam, imo necessario affingendam, constituit, ut Judaicam Christianamque religionem eisdem ludibriis cum Ethnica & Muhammedana prostituere posset empæcta. 4.) Cum tamen cerne-
ret Judæos pariter ac Christianos nimis clara vaticinia passim proferre e sacrarum literarum codice: audacter negat Collinus, illa secundum literam eventus praedice-
re istos, qui ad illa referantur, sed per allegoricam demum interpretationem; ut vel sic ex ingeniorum solertia quicunque eventus quibusvis vaticiniis accommodari possit, eaque reapse nihil praedixisse putentur. quod si admittere nolimus, minatur eodem loco vaticinia illa nimis clara habenda esse, quo illa quæ superest Sibyllinorum oraculorum collectio. Ita vero mentem profanissimam affatim declaravit homo impius. Quæ licet omnia semet ipsa destruant, & sua profanitate, & assertis manifeste falsis & incongruis se prostituant: ne tamen sine animadversione dimittamus, notamus α) historica fide irrefragabili, & omnium seculorum monumentis & suffragiis constare, jam dudum antea extitisse libros Vet: Test: Hebraicos, tales, quales hodiernum legimus, antequam JESVS Nazarenus nasceretur homo: nec iis quidquam insertum fuisse deinde a Christianis: quod qui eis objiceret, nullus hactenus tam audax extitit calumniator; nec admissuri illud fuissent Judæi perpetui Christianorum adversarii, qui & suos codices in-

cor-

corruptos fatentur ac defendunt, nec nobis vel conatum illos interpolandi usquam objiciunt. Atque licet fuerint inter criticos Pontificios & alios nonnulli, qui Judæos in odium Christianorum quædam mutasse in Hebræo codice, asserverint, ut Vulgatæ latinæ, vel Græcæ LXXviralis, vel Samaritanæ versionis aberrationes defenderent; dudum tamen viri doctiores non modo inter Protestantes, sed & ex ipsis Pontificiis, agnoverunt immerito Judæos criminis hujus infimulari, nec fieri unquam potuisse, ut illi per totum mundum sparsi in hujusmodi corruptelam consentirent. Et fac corruptos esse codices Hebræos a Judæis, (quod tamen nec asseri nec probari veritate propitia potest) legimus tamen illa quæ urgemus vaticinia clarissima in ipsorum Judæorum codicibus, quantumvis (si sic placet) corruptis, eventibus, quos Christiani ad illa referunt, exactissime congruentia. Quod qui ex Judæorum corruptela esse dixerit, is profecto manifeste insanit. Quin potius Judæi antiquissima esse illa vaticinia & genuina fatentur: & nos non alia, quam sicut ipsorum codices ea exhibent, agnoscimus & allegamus. Cum ergo ex testimonio & sollicita custodia ipsorum adversariorum nostrorum Judæorum vaticinia illa eventibus, quos conferimus, antiquiora sint, illa ipso suo exactissimo cum eventibus consensu suam divinitatem clarissime probant. β) Concedimus omni vero vaticinio, antequam evenerit quod prædicit, obscuritatem quandam adhærere, non in seipso, sed ex ingenio hominum, qui expectationis impatientes qualemcunque eventum sui temporis volunt esse illum ipsum vaticinio prædictum: cui tamen cum nonnisi unus verus eventus congruere queat, inde ut affiçto eventui illud accommodent, in verbis vaticinii quam clare nequeunt reperire congruentiam, per allegoricas interpretationes extorquere laborant, Inde factum, ut magistri illi Israelis, licet
cla-

clarissima de Messia ex tribu Juda & familia Davidis oriundo, de ejus regno non mundano sed spirituali ac coelesti, de ejus humilitate, passionibus ac morte, vaticinia habuerint, tamen crassissimos, non modo tunc admiserint errores, cum apparuisset in carne verus Messias, JESVS Nazarenus, sed & hunc usque in diem coecutiant, & ex illatis suis praëjudicatis opinionibus obscurissima sibi reddant, quæ verus in nostro JESV eventus demonstrat esse clarissima. Non diffitemur etiam typorum in vaticiniis admistionem obscuriuscula illa reddidisse; ut quando Messias dicitur David, Johannes præcursor ejus Elias, qui tamen ipsi typi vaticiniorum, postquam eventu dilucidata sunt, nihil obscuritatis amplius habent, sed eadem mirum in modum illustrent.

γ) Res futuras, non necessario rerum nexu succedentes, sed fortuito quasi & contingenter emergentes, vel miraculosa prorsus nexus rerum naturalis mutatione prodituras, prædicere clare ac diserte utique non potest, nisi ens omniscium, cui tanquam facta obversantur, quæ post multa secula fieri possunt; vel ens potentissimum, quod opera sua, quæ post longa tempora potenter effecturum est, solum habet cognitissima. Unde quando vaticinia in populo DEI divinitus data dæmonum vel vafrorum hominum κακοζηλία apud Ethnicos, & quascunque profanas gentes, æmulari suscepit, non potuerunt non obscurissima edere oracula, quæ aut eventu penitus destituerentur, aut per ambiguitatem suam necessario prædicerent, quicquid etiam ex maxime contrariis eveniret. Effrontissima igitur est rabies, & nequissima protervia pessimorum nebulonum, in eundem obscuritatis censum conjungere unius veri DEI prophetias cum fraudulentis Ethnicorum & Muhammedanorum vaticiniis δ) Sibyllina quæ habemus oracula claritas sola non redderet suspecta, quin potius divinissima probaret, nisi aliunde criticis constaret, ea recens, & diu post

post

post eventum, conficta esse, admistisque variis erroribus scriptorem prodere minime divinum.

§. XIII.

Nihil ergo Collinus lucratur prætenfa omnium vaticiniorum obfcuritate ad evincendum, quod Jefaianum nostrum vaticinium fecundum litteram de filio Jefaiaë agat, & per allegoricam accommodationem faltem ad Mefliaë ex virgine nativitate fit translatum. Quæ inſpergit alia ad incruſtandum hunc errorem, tanti momenti non ſunt, ut ea recenſeamus, nec operæ pretium, ut refutemus, cum illa corruant ſua ſponte obſervatis iis, quæ hætenus annotavimus. Vnicum adhuc tamen quod V) eſto ejus argumentum, adverſus ſinceritatem noſtri vaticinii ab ipſo allatum, recitabimus, licet illud Cap. I. & II. noſtri hujus opuſculi jam ſatis ſubrutum: cum in eò haud leve præſidium erroris ſui ponat, quando contra Whiſtonum diſputat, urgens nihil lucrari Whiſtonum verba v. 15. & 16 Cap. VII, Jefaiaë in textu Hebraico luxata aliunde in hunc locum poſita contendentem, niſi ut argumentum unum ex multis tollat, quod evincat, prophetam de nativitate pueri ex adoleſcentula maritata tempore Achafi expectanda agere, p. 130. ſeqq. Nimirum quia filius adoleſcentulæ, in ſignum propoſitus, dicitur butyrum & mel comesturus, uſque dum ſciat rejicere malum & eligere bonum, & additur, antequam puer ille rejiciat malum & eligat bonum, deſerendam eſſe terram hoſtium a ſuis regibus; exiſtimat, non poſſe illum adoleſcentulæ filium eſſe Meſſiam poſt tot ſecula naſcendum, ſed indicari pariendum quam proxime puerulum. Sed quamvis daremus Collino, quod filius adoleſcentulæ dicatur comesturus butyrum ac mel uſque ad annos diſcretionis, qui dici ſolent:

Butyri et mellis memorata comestio non obstat, quin Immanuel sit Meſſias.

B b

non-

nondum tamen sequeretur, illum non posse Messiam esse. Certe, quod de filiolo mulieris cujuscunque tempore Achasi nato, dici potuerat, ratione victus ejus, idem poterit etiam de victu Messiae dictum esse, qui in omnibus voluit similis fieri fratribus suis, Ebr II. 17. Atque uti tempore nati JESV Nazaræni, incolæ Palæstinæ non minus butyrum ac mel comederunt quam tempore Achasi, ita comestio illa butyri ac mellis nequit argumentum aliquod præbere, quod puellus iis vescens nasci debuerit Achasi tempore, & non post septem demum secula imo regniæ Davidicæ stirpis posteris, quibus etiam Jesaias cum suo filio accensendus est, magis forte butyro & melle victitarunt tempore nati JESV, ob paupertatem, ad quam redacti fuerant, quam tempore Achasi: & potuisset nihilominus Jesaias de puerulo JESV dicere, quod antequam ille ad annos illos discretionis esset venturus, & diu ante, hostes Achasi sint delendi, ut tamen nihilominus puer JESVS signum mansisset Achaso & familiæ ejus, non delendam esse domum Davidicam antequam puer ille nasceretur. Sicut igitur Whistoni frivolum commentum recte rejicitur, cum verba versiculi 15 & 16 nihil obstant, tametsi sensu vulgari capiantur, quominus versiculus 14. de Messia possit directe, absque allegoria, atque in litterali suo sensu agere; ita tamen commentum illud Collino nullum argumentum sui erroris subruit & eripit, quippe quod Collinus nullum hic habet. Sed & satis perspicue ostendimus, non de filio virginis dici, quod butyrum & mel comesturus sit, sed de incolis Palæstinæ indefinite: & ex v. 16 nihil suo errori lucrari Collinum, evicimus paulo ante §. 6. & 10. Ut adeo etiam hoc Collini nullius momenti sit argumentum.

§. XIV.

§. XIV.

Hæc vero, quantum perspicere possum, sufficient
 ad diluenda pravæ interpretationis vaticinii nostri com- Non de
 menta. Provocavit Collinus ad Guil: Surenhusii con- puero Im-
 sensum, prolixè referens, quæ ille in Βίβλω καὶ ἀλλογῆς manuele
 attulit de hoc Jesaiæ vaticinio ejusque apud Matthæum dicta est
 facta allegatione. Sed nequaquam consentire Collini comestio
 erroribus Surenhusium, imo in cardine rei ei penitus butyri ac
 adversari, patebit cuilibet perlecturo, quæ vir hic ce- mellis
 leberrimus in allegato libro, a p. 148. ad p. 165. disse-
 ruit. Quanquam non omnia, quæ doctiss. Surenhu-
 sius attulit, velim mea facere. Saltem quantum ad me-
 moratum a nobis ultimo loco Collini argumentum at-
 tinet, addemus, quæ Surenhusius ex Judæorum objectio-
 nibus p. 156. annotavit, urgere illos, dicta Jes. VII, 15. nullo
*modo Messie convenire posse, quod ille a die nativitatæ suæ butyrum
 ac mel comederit, cum de ejusmodi educatione JESV Nazareni ne
 Verbum quidem extet in Evangelio; cum etiam in Christum,
 ex sententia Christianorum, ignorantia cadere non possit, cum
 tamen de puero, cujus propheta meminit dicatur, antequam
 ille inter bonum & malum discreturus sit, reges istos, de qui-
 bus superius dictum est, perituros esse.* Sed objectiones
 hujusmodi Collinum forte ac Whistonum movere po-
 tuerunt, ut dicta v. 15. & 16. obstare putarent, quo-
 minus v. 14. de Messia JESV Nazareno possit accipi:
 veritati autem nequaquam officiant. Satis manifestum
 reddidimus Jesaiam neutiquam de Messia dixisse, quod
 ille sigillatim butyrum ac mel sit comesturus: quare ne-
 que opus fuit, ut de JESV Nazareni educatione me-
 morarent Evangelistæ, quod butyro ac melle fuerit enu-
 tritus. Et omnino incongruum existimari, de pue-
 ro dictum putare, quicumque is etiam sit, quod is bu-
 tyrum ac mel sit comesturus, ad usque istud suæ pue-
 ritæ tempus, quo sciat rejicere malum & eligere bo-
 num

num. Quid enim puer iste ex tali victu peculiare haberet? annon etiam alii infantes butyrum ac mel comedunt? quis usus vel quæ necessitas hujus victus ad illam scientiam? annon etiam pueri butyro ac melle non enutriti ad annos discretionis, & cognitionem boni ac mali perveniunt? & cur non etiam post pueritiæ annos, & ex ephēbis egressus iste Immanuel, quisquis sit, butyro ac melle vesceretur? annon etiam virorum & senum, imo & mulierum ille victus est? Certe, qui omnia cum cura expendit, nequitiam inveniet Jesaiam de puero, quem in signum constituerat, hoc dicere voluisse. Dum vero Jesaias dixit, antequam puer ille Immanuel inter bonum & malum discreturus sit, reges adversantes perituros esse, eo Immanueli non tribuit ignorantiam. Sublimior est discretio inter bonum & malum, quam Immanuel, qui se DEI puerum ac servum dicere amat, *) instituit, quam quæ apud pueros *ψιλανθρώπως* annis ignorantia succedere solet: discretio scientiam arguens divinam & *ἀκριβοστάτην*, discretio iudicii terribilis, quam Judæi ab Immanuele nostro JESU Nazareno actu factam esse lugubri sua experientia sentiunt & palpant, rejecti a facie DEI, a terra sua, a sacrario suo & cultu divino, a spe Messia, & conculcati inter gentes totius mundi, etiam idololatrias per tot jam jam secula. Atque licet Christiani nequaquam dicant, nullam in Christum puerum, & in humiliationis suæ statu versatum, ignorantiam cadere debuisse (cum divinæ etiam testentur literæ ipsum profecisse sapientia, Luc. II, 52.) non tamen scientiam ex butyri ac mellis victu haurire debuit vel potuit, ut Judæi de suo puero nugantur: sed eam dubio procul iisdem mediis acquirere voluit, quæ fratribus suis, omnibus videlicet hominibus, præscripsit, verbi imprimis divini auscultatione, lectione, & meditatione. Nihil quid-

quidquam igitur dicta Jesaiaë Cap. VII, 15. & 16. obstant interpretationi versiculi 14, de Messia directe & ad literam institutæ. Abundasse autem adhuc tempore Christi, officio suo in terra perfurgentis, terram Israeliticam lacte & melle, nemo puto vocabit in dubium. Neque quidquam in scriptis Evangelicis occurrit, quod adversetur. Licet enim nusquam mentionem faciant butyri & lactis, cum tamen sæpius pascua memorent, & greges varios, & graminum in desertis abundantiam, quis dubitaret, etiam lactis & butyri omnibus abundantiam supetiisse? Mellis autem copiam superfuisse, testari potest, quod & Johannes Baptista melle agresti victitasse memoretur, & discipuli comparenti inter ipsos prima resurrectionis die Salvatori dicantur de favo mellis comedendum apposuisse.

*) Videtur ipsis Judæis veteribus Messias sæpius nomine *pueri* הנער venisse. Ut quando de puero Metatron loquuntur, qui in tabernaculo cœlesti offerat. Sic in codice Talmudico Chagigah Cap. II. Rabbi Simeon dixit, ea hora, qua jussit DEVS Israelitas erigere tabernaculum, indicavit angelis ministerii, ut & ipsi facerent tabernaculum. Cum igitur erigeretur tabernaculum inferius, erectum quoque fuit superius tabernaculum והוא משכן הנער מטטרון illud pueri Metatron, in quo offert animas justorum, ad expiandum pro Israele, tempore captivitatis eorum. Similia habet Rabbi Bechai in Elucidationibus, ad Exod. XL. scribens: quando erectum fuit tabernaculum, aliud quoque erectum fuit, nempe הנער, cujus nomen Metatron, & nomen est idem cum nomine domini sui.

§. XV.

Reliquas Judæorum objectiones, quas Clar. Surenhufius dicto loco indicavit, satis jam in superioribus enervatas & refutatas deprehendet Lector. Id unum forte

B b 3

Præsentibus Jesaia
forte audia

toribus
incredu-
lis si-
gnum
verum est
Messias.

forte adhuc discutiendum videri posset, quod tamen sufficienter etiam paulo ante § 6. diluimus, quando memorantur urgere, *absurdum videri, signum de JESU Nazareno septem post seculis nascituro huc referre, cum propheta id ad illa tempora, & homines tunc viventes referat, dicens, DEVS vobis dabit signum, vobis nempe, qui jam repudiatis gratiam DEI, illiusque veritatem ac potentiam de liberatione vestra in dubium vocatis; quid enim ad eorum confirmationem facere poterat Messias multis post seculis nasciturus? nihil.* Sed uti verba prophetæ in his non necessum est ad solos ei adstantes referre, cum ad totam domum Davidis inde a. v. 13. locutus fuerit Jesaias, nec id dicis causa, aut forte ornatus Rhetorici ergo, fecisse putandus sit, sed quoniam signum omni, toti, atque soli domui Davidicæ nunquam non prostantis memoraturus erat: ita tamen non negamus, dum Immanuel iste toti domui Davidicæ perpetuum signum est, fuisse illum etiam illis ex eadem prophetæ tunc adstantibus incredulis & gratiam repudiantibus signum. Præterea etiam respectu horum sigillatim vere dicere potuit Jesaias, Dominus ipse vobis dabit signum. Hoc nimirum dicens: vobis ipsis, qui jam repudiatis gratiam DEI, dabit tamen DEVS signum esse illum virginis filium, qui perpetuum toti domui Davidicæ signum est, quod ea deleri nequeat, antequam ille natus fuerit, & inter bonum & malum sit discreturus. Conspicietis enim hoc, & confirmabimini, esse vobis signum, promissum toties virginis partum, quod omne consilium & omnis conatus eorum evanescat, qui stirpem Immanuelis illius, & ejus populum, Judæos, eradicare & delere suscipiunt: quando videbitis, etiam istorum duorum regum, qui idem nunc adversus vos tentant, irrita evasisse molimina, & ipsos de suis met terris extirpatos esse ac periisse. et quo diutius adhuc expectanda est nativitas Immanuelis, eo diutius certi pote-

potestis existere ex hoc ipso signo, permansuram esse domum Davidis et tribum Judæ, ultra septem adhuc secula, donec ipse Immanuel suo judicio dissipabit malos, electis bonis; quantumlibet interea domus Davidica & gens Judaica divinis castigationibus, variisque afflictionibus, ob peccata sua, non sit caritura. Non igitur certe nihil, sed quam plurimum omni ex parte ac respectu Messias, septem post secula nasciturus, auditoribus Jesaiaë faciebat ad confirmationem eorum de veritate promissi DEI adversus hostes illos auxilii. Sed ignoscet Lector, si forte pluries eadem repetendo diligentiam ejus fatigavimus. Ignoscat, quæso, dum cernit maluisse nos actum agere, quam vel minimum relinquere non discussum, quod allegationi vaticinii Jesaiaë a Matthæo factæ qualiscunque ejus calumniator jactare posset adhuc adversari, & quod dimoveri nequeat. Gratias vero nobiscum sinceræ agat Immanueli nostro, sibi in verbo suo ubique constanti, cujus gratiæ debemus, quicquid in edisserenda divinarum literarum insolubili harmonia sapientum judicio hic submittimus. Adsit idem deinceps etiam suæ familiæ, Ecclesiæ veræ, sicut promisit, omnibus diebus usque ad finem seculi, **verus Immanuel, DEVS nobiscum, veritas & Amen!**

F I N I S.



MENDAS TYPOGRAPHICAS relegenti observatas BE-
 NEVOLVS LECTOR has ut corrigat, petimus. Pag.
 10. lin. 1. legat: *devitarent*. Ibid. not. (*) lin. 4. post *in ea*
 addat: *reliquam*. pag. 20. l. 25. leg. עמנואל. pag. 30. §.
 XI. in margine, legat: signo *illi*. pag. 35. §. XIII. lin. 11.
 leg. ברת. ibid. l. 13. post *ista* addat. *tantummodo*. pag. 57.
 l. 1. leg. *Ezech. XI.* pag. 66. lin. 4. a fine post *ablegare*, ad-
 dat *doctrinas*. pag. 68. in fine notæ (***) leg. pag. 560.
 pag. 71. lin. 13. post *forte* add. &. pag. 76. l. 17. leg. *gau-*
deat. pag. 82. not. (***) lin. 7. leg. §. XLVI. *usque L.*
 pag. 101. l. 2. leg. v. 34. pag. 116. l. 21. legat *distincte: in*
deramatum. pag. 118. ad marginem §. IV. addat lemma:
Quomodo res futura signum sit certitudinis eventus prope instan-
tis. pag. 127 l. 13. post prius ׀ ponat comma.) & pro *quo-*
que legat *quodque*. pag. 131. not. (*) lin. 6. legat *sic*. &
 mox *Distinct.* pag. 138. lin. 3. a fine, pro *qui* leg. *quia*. ib.
 lin. ultima leg. *sape*. pag. 146. §. XII. lin. 15. post *ipsis*
 ponat colon. p. 149. l. 9. post *suffixum* pro ; ponat ׀. pag.
 153. §. XV. ad marginem addat: *usque dum noscat eum.*
 pag. 154. post *suffixum* pro ; ponat ׀. ibid. lin. 22. post *sit*
 ponat punctum. pag. 163. l. 22. post *viri* ponat (*). pag.
 174. lin. 8. pro *arbitri testi gestis* legat *arbitris gesti e-stis.*
 pag. 178. §. X. lin. 3. leg. *nascendus*. Reliqua sphalmata,
 & quæ minoris momenti, LECTOR ipse facile emendabit.

Ency B 703

